
ANDREAE EUDAEMONIOANNIS ... ADUERSUS ROBERTI ABBATI OXONIENSIS DE...

Andreas Eudaemon Joannes


NAZIONALE
VITT. EMANUELE
14
33 K
13



ANDREAE EVDAEMONIO-ANNIS CYDONII E SOCIETATE IESV,



Aduersus

ROBERTI ABBATIS OXONIENSIS DE ANTICHRISTO SOPHISMATA DISPVTATIONIS LIBRI TRES.

Colleg. Rom. Soc. Jesu
Catal. Inscript.
Bibl. Cardi. Bellarmi



Cum facultate Superiorum,

Gratia & priuilegio Cæsareæ Maiestatis.


INGOLSTADII,

Ex Typographeo ADAMI SARTORII.

ANNO M. DC. IX.




CLAVDIVS AQVAVIVA, SOCIETATIS IESV PRÆPOSITVS GENERALIS.



VM opus hoc, cui titulus est, Andreæ Eudæmonioannis Cydonij è Societate Iesu, aduersus Roberti Abbati Oxoniensis de Antichristo sophismata disputationis libri tres; tres eiusdem Societatis Theologi recognouerint; & in lucem edi posse probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ XXVIII. Decembris 1608.

CLAVDIVS AQVAVIVA.



LECTORI.

ANTEQVAM ad suæ de Antichristo blasphemiæ confirmationem propius accederet Robertus Abbatus; veluti prælusionis loco, ad Patrum auctoritatem, qua incolumi ludere se operam cernebat, aut euertendam, aut labefactandam quidem certè admouendas sibi machinas omnes existimauit. Quæ me res impulit, Lector, vt primo disputationis huius libro exceptionibus eius calumniisque confutatis ostenderem, præter tuendæ blasphemiæ suæ desperationem, nullam illi esse causam, cur in hac controuersia, ab eorum iudicio, sententiaque discedat. Tum vero ne forte, vt genus hoc hominum omnem calumniæ ansā auidissime arripit, criminaretur, nos in Patrum hæsisse literis, scripturarum pa-

trocinio destitutos: ita consequentibus duobus libris de Antichristo disputaui; vt docerem, non minus sacras literas, quã Patres ipsos à nobis stare. Quæ mihi disputatio quo expeditior esset; neque tertio quoq; verbo è scripturis digredi cogerer ad ea mẽdacia refellenda, quibus, vt nos in inuidiam apud imperitos vocaret, librum suũ refersit: non nulla de iis in extremo primo libro scribenda fuerunt. Erit id tibi abbatianæ fidei satis locuples documentum. Ceterum quo explicatius scias, quid in vno quoque libro contineatur; summa tractationis capita singulis præscribenda curauimus, Vale.



ANDRE-



ANDREAS EVDAEMON IO-ANNES E SOCIE-TATE IESV

AMICO ANGLO IN BELGIO EXVLANTI S. ET P. CHRISTI DO-MINI.



ERIUS quàm aut tu velles, aut postularet res, hoc est pridie Kalendas Nouembris, cum Romam fortè venissem, liber Roberti nescio cuius Abbati Oxoniensis, cui inscriptio est Antichristi Demonstratio *mihi redditus est confutandus. Perlegi vno propemodum spiritu, vt viderem quid prodigiosus hic montium partus portenderet: & ecce tibi nascitur, non iam vt est in veteri prouerbio ridiculus mus; sed ranunculus fœda, atq; importuna bestiola. id quod in ea epistola, qua Iacobo Regi paulo ante renunciato gratulationis causa librum dedicat, de se, deq; sodalium suorum natione tota his verbis ipse profitetur:* Liceat nobis quoque ranunculis, inclitysſime Rex è studiorum

 offici-

officinis, tanquam è specubus, & cauernulis obsequia nostra contestari. *Praclarum verò spectaculum; ac si Abbato acuto homini credimus, Euangelij dignum maiestate, ranũculus exerto è cauernula capite de diuinis oraculis disputãs, Batrachomyomachiam opinor aliquam, aut Aristophanaum ludicrum, non Theologicam tractationem egregius scriptor instituit; quis enim in re seria locus esse fœdo, ac ridiculo animalculo potuit? At enim ad se moresq́; suos respexit Abbatus cum ista scriberet. Et agnosco, & verò etiam laudo hominis in tam apta metaphora excogitanda solertiam. Sed qua ratione tam inepta animans in sacrarium illud augustißimum audet irrumpere; atq; altum illud silentium, quo Deo suspensa tanta maiestatis reuerentia piorum mentes feriantur, rumpere clamoribus importunis? Deinde cur non multo maximè accomodata similitudine coruum se potius appellauit; cuius ingenium tum absurdè atq; absonè crocitando, tum laniandis sanctorum carnibus exprimit? Aut si aperti, ac liberi cæli odio, qua est eius impuritas morum, ac vita planè lutulenta* (spurcus homo vita illa dignu, locoque) *harere in cœno, ac latere in paludibus maluisset; buffonem dixisset aptius, animal neq; minus fædum, & loquacitate importunum, & veneno nocens. Certè cum vices Oxoniensis Cancellarij gerens Elisabetha Regina conquirendis Catholicis sacerdotibus, atq; Ecclesia diuexanda strenuam nauasset operam, veritus ea demortua, ne si minus irato Principe in Anglia fides vteretur, remittente persequutionis rabie artificium suum iaceret, sibiq; exaturanda sanctorum sanguine sitis sua, opportunitas periret; in ipso libri sui initio nequißimè calumniando Regis in nos iram exacuit. Sed nimirum & miseranda eius regni conditionis vaticinium, & confeßionem teterrimi Spiritus, atq; apostolatus sui elicuit imprudenti Spiritus sanctus; vt alia omnia cogitans fatere-*

tur,

tur, & AEgyptiorum calamitatibus iam terram premi, quæ dederit ranas in penetralibus Regum ipsorum. & se iis agitari spiritibus dæmoniorum, qui Apocalyp. 16. in modum ranarum de ore Draconis,& bestiæ,& Pseudoprophetæ procedunt ad Reges totius terræ, congregare illos in prælium magnum omnipotentis Dei. *Infelix hominum genus, quibus tam altè suus error insederit; vt excæcatis veritatis odio mentibus, non modo ea ipsa, quæ de se ipsi prædicant, non agnoscant; sed etiam, quod longè miserrimum est, de sua sibi miseria blandiantur.*


Ceterum quando Antichristi, cuius vt impietatem, ita in nos odium imitatur, commemoratio Abbatum tantopere delectat, vt tam multa de eo garriendo lectores fatigarit: geram eius cupiditati morem, atq; ita in hoc argumento versabor, vt abstineam ceteris omnibus. Quanquam enim grauissimis eius tum in Ecclesiam vniuersam, tum priuatim in nostram societatem contumeliis, calumniisq; lacessitus, hominis improbi temeritatem castigare iurè meo possem: intactum tamen totum eum locum relinquam, ne aliam, quam fidei causam suscepisse cuipiam videar. Verum ne aut gloriari possit Abbatus magnis nostrorum voluminibus ineptias suas confutari debuisse aut responsio, quæ multò antè prodiisse debuit diutius desideretur: pleniorem eius rei tractationem in aliud tempus reiiciam, in præsentia non tam confutationem instituam, quàm castigationem, sed ita tamen, vt quando eum tanopere batrachomyomachia delectat; intelligat Physignathus meus orationem suam vt apud psicharpagem quempiam, aut ranarum concionem aliquid habeat ponderis ad imponendum: Mineruæ tamē clamoribus inconditis non nisi caput obtundere. Breuiter itaq; demonstrabo neq; iustas esse exceptiones eas, quibus eleuare Patrum auctoritatem, ac fidem in hoc negotio suspectam reddere niti-

re nititur & sacrarum litterarum oracula pro maioribus nostris stare. Tu interim exilij aerumnas, qua par est animi magnitudine, atq; constantia pro Christo, eiusq; Ecclesia perfer, si tamen ferenda, ac non amanda potius, atque expetenda sunt ea, quibus vel Christi Domini testimonio beatitudo continetur. Sed tamen quicquid demum istuc est acerbitatis, & molestiae magno, atq; erecto animo tolera. Euigilabit enim, cum oportunum fuerit is, apud quem etiam capillorum nostrorum numeris constat, & surgens imperabit ventis & mari & ponet procellam eius in auram, & fluctus eius silebunt. Nulla vnquam persequutio satanae eiusq; membris successit, quam qui commouet, ad certum triumphum nos vocat. Sexdecim iam annorum centuriis ferendo vincimus; & dum iugulo ferrum recipimus, debellamus. Diuturnum esse non potest; quicquid aduersus Ecclesiam portae inferi moliuntur. Dum exurgens Dominus misereatur Sion; ipsos etiam eius lapides adamemus, quos spes aeternae retributionis emollit, & suauitate sua conditos Christi caritas reddit super mel, & fauum palato fidei dulciores. Vale Neapoli ipsis Kalendis Ianuariis anno.

MDCVIII.



Liber pri-



Lib. I. Patrum in hac Controuersia auctoritas asseritur atque Roberti Abbati fraudes deteguntur.

I. Controuersias fidei solo scripturarum iudicio decidi non posse.

II. Traditionum Abbato etiam teste maxima atque antiquissima in Ecclesia veneratio.

III. Abbati etiam confessione longè diuersissimā Antichristi notionē Patres habuerunt quam nūc habeant sectarij.

IV. Abbatus impie in Patres inuehitur.

V. Responsio ad ea quæ ab Abbato Patrū de Antichristo doctrinæ obiiciuntur. vbi omnia fere diluuntur aduersariorum argumenta.

VI. Abbati imposturæ ac mendacia

ad minuendam auctoritatem Patrũ. Vbi & de templo in quo sessurus est Antichristus, deque historia B. Teclæ disputatur.

VII. Abbatus fingit historias quas pro veris ac minimè dubiis ad labefactandam Patrum auctoritatem proferat.

VIII. Abbatus secum pugnat.

IX. Abbatus in reliquo opere nihilo fidelior quàm in primo capite.

X. Propulsatur à Catholicis imprimisque à Campiano fraudis suspicio.

XI. Abbatus in historia parum fidelis.



ANDREAE



ANDREAE EVDAEMON IOANNIS CYDONII E SOCIETATE IESV,

Adversus

ROBERTI ABBATI OXONIENSIS DE ANTICHRISTO,

SOPHISMATA DISPVTATIONIS,

Liber Primus:

QVO PATRVM IN HAC CONTROVERSIA ASSERITVR AVCTORITAS, AC fraudes primi præsertim capitis deteguntur.



VM ceteris omnibus in rebus, quas in controuersiam vocare conati sunt nostræ tempestatis Hæretici, à nobis stat vetus Ecclesia: tum verò in hoc Antichristi negotio ita aperte, 1. *Controuersias fidei solo scripturarum iudicio decidi nō posse.*

pertè, atque disertè causam nostram tuetur omnis antiquitas, vt nisi ea penitus repudiata commentitius sectariorum Antichristus ne nominari quidem sine risu, ac sibilis possit. Eam ob rem vt ea se molestia liberet Physignathus, perinde quasi cum muribus congrediendum sit, classicum in Patres canit, atque eorum auctoritatem, qua incolumi saluus esse non potest, aut euertere funditus, aut labefactare quidem certè machinis omnibus nititur Demens, qui iuncis palustribus speret eam arcem dirui posse, quæ tam validis Satanæ arietibus, tot sæculis ne concuti quidem vlla ex parte potuerit. Ergo vt sibi aditum ad reliquam disputationem aperiat, id agit hoc capite vt lectoribus persuadeat audiri Patres in hac causa non oportere; quippe quos à veritate diuersos Hæreticorum fabulæ, & malus vulgi error abstulerit. Egregiam verò ac plenam sapientiæ pietatisque disciplinam: quæ nisi conculcatis Patribus, ac deleta prius auctoritate veteris Ecclesiæ, tradi non possit; cuique epicurea illa præfatione in ipso vestibulo vtendum sit, ne quis abiecta Patrum religione, atque existimatione vetustatis imminuta, existimet

Impia se rationis inire elementa, viamq;
Indugredi sceleris.

Patres igitur reiicit, cum quibus exploratum habet nihil sibi esse posse commune. Ad scripturas prouocat; quarum videlicet ij vel parum consulti, vel parum studiosi fuerint. Id quod ipsa capitis huius inscriptione contestatur. *Cuius* inquit Antichristi *veram notionem ostenditur non ex patribus, sed ex scripturis explicari debere.* Quid ita? quia vt ait sect. octaua. *Pontificiorum errorem sequantur necesse est ij; qui scripturas de Patrum tantummodo senten-*

sententiis exponunt; non Patrum sententias, & dogmata ad scripturarum iustissimam, & æquissimam lancem appendunt. Quid igitur agendum nobis in hac causa censes? nimirum, *Vt meminerimus litteras illas scripturarum ancillas esse debere; non dominas, non iudices, qui sententia necessitatem imponant: Sed indices, qui admoneant.* At cur tandem? *Vt dissentire,* inquit, *liberum sit si quid indicare videntur, in scripturis ipsis inueniri non possit.* Hæc in vniuersum dicta; quid de hac causa sentis? *Hæc,* inquit, *tenenda nobis est regula in hac causa peruestiganda quam proponimus. Neq; enim de Antichristo, vel Antichristi dogmate rectè sentire poterimus; nisi sacris scripturis quæstionem omnem ita sistamus; vt nihil apud nos auctoritatem obtineat, quod non ex illis fundamentis certissimis argumentis extructum sit.* At quorsum ista tam multis disputas? quorsum tam multa exscribis ex imperfecto illo commentario in Matthæum? *Ad disputationem hanc nostram,* inquit, *præmuniendam, aduersus calumnias Papistarum, vt intelligant nos optima ratione, & Patribus ipsis probatissima docere; controuersiam omnem de Antichristo, non de hominum quorumcunq; coniecturis; sed de scripturis diuinis finiendam esse. Illic periculum esse ne in abominationem desolationis incidamus. hic tantummodo nos securos esse, & veram Christi Ecclesiam, cui nosmet adiungere debeamus, ab Antichristi turba distinguere doceri.* Ain verò adeò ne perspicuè, atque apertè de Antichristo loquuntur scripturæ, vt in earum peruestigatione nullus nobis error possit obrepere? Nam si ita est iaceant omnino scripta Patrum, ac non modo (quod tamẽ sect. 8 concedit Abbatus) non grande momentum in iis esse ad lucem scripturis afferendam existimetur, sed ne legantur quidem. Qui se diuinas literas, quas ne non

intelligere quidem possumus, rectè interpretantur; nihil nobis præsidij afferunt ad veritatem assequendam. Si claram, atque expositam veritatem assequuti in scripturis non sunt: profectò aut stipites eos fuisse necesse est, qui in luce meridiana cæcutierint; aut in errores ipsi sese velut in laqueos inducere voluerunt. Sin autem ita veritatem sacræ litteræ continent: vt quia multis est vallata difficultatibus, facile humanum ingenium fallat; interpretationis luce ad earum intelligentiam opus est: qua igitur ratione totam hanc causam sacris litteris sistimus? aut quæ tandem ista prouocatio est, qua scripturarum iudicium verbo prætexitur, re vera interpretum tribunal aditur? Patres ne igitur tales, ac tantos viros iudices non patiemur: alios nescio quos huic Controuersiæ præesse disceptatores patiemur? An auditis aliorum rationibus suum quisque iudicium tanquam prætoris sententiam interponet, atque id demum diuinæ litteræ continebunt, quod cuique videbitur? tot igitur erunt veritates, vt Protagoras olim affirmabat teste Ar. 4. Met. t. 19. quot capita; At enim nihil est affirmandum, nisi certissimis, firmissimisque rationibus ex scripturis colligatur. Opinor, si aut ita est perspicax humanum ingenium, vt non modo in rebus inuolutis, atque reconditis, sed etiam in iis, quæ palam expositæ sunt, errare aliquando non possit. aut nullæ sunt doctissimorum hominum de naturalibus etiam rebus dissensiones. Cum tamen suam singuli sententiam certissimis se rationibus tueri existiment. aut cum octogesimum iam annũ de verbis cœnæ Domini Lutherani, ac Sacramentarij inter se tam acriter digladientur; vel Lutheranis firmissimæ illæ Sacramentariorum

ratio-

nationes, vel verba Domini, quæ Luthero tam firmiter ſtant, probari vnquam Sacramentariis potuerunt. Hic mihi iã Phyſignathe vbi ex aquula tua muſco prætextatus emerſeris, tantæ Controuerſiæ cognitor ranarum conſilium aduoca: Citari ad dicendam cauſam Polyphoni voce Lutherum & Caroloſtadium iube: poſtquã perorauerint de Lymniſij Hypſiboæque ſententia pronuncia, Lutherum, qui ſimplicem verborum Domini veritatem tueatur; quantumuis contra cœleſtes Prophetas clamando rumpatur, parum firmis rationibus vſum: Caroloſtadium contra, cui vt olim Petro incarnationis myſterium, ita Pater Cæleſtis reuelauerit in verbis cœnæ pronomen, Hoc, aduerbium eſſe loci, veritatem aſſequutam videri: Tum verò qualis, quantuſque fereres? quis te tota palude plauſus excipiet? quanta conſequetur admiratio ſapientiæ tuæ? Quanto & ad religionis Maieſtatem, & ad vnitatem fidei accommodatius Catholica Chriſti Eccleſia? quæ cum intelligat nullas eſſe humani ingenij tantas vires, quas aliquid aliquando non lateat: quamuis Patrum ingenia, vt par eſt, ſuſpiciat, ac iudicia veneretur: tamen fidem ſuam, quæ diuina certitudine niti debet, iis non metitur. Sed cum fieri non poſſit, vt viros ſuæ tempeſtatis primarios, aut omnes, aut plurimos fugerit id, quod veteris, hoc eſt probatiſſimæ Eccleſiæ in qua floruerunt, fides tenebat; vera autem Chriſti Eccleſia columna ſit, ac firmamentum veritatis, aduerſus quam diuina promiſſione portæ inferi præualere non poſſunt: non dubitat id eſſe certiſſimum, quod in diuinorum dogmatum explicatione conſentiens Patrum, hoc eſt, veræ Eccleſiæ commendat auctoritas.

2. *Traditionũ Abbate etiam teste maxima, atq; antiquissima in Ecclesia veneratio.*

Id adeò prisco more atq; antiquissima Ecclesiæ disciplina semper viguisse inficiari Abbatus ipse non potuit, cuius ea verba sunt sect. 3. *Enimuerò apud Antiquos superstitio illa plus satis inualuit, qua piaculum esse credebatur ab illorum instituto, & sententia recedere, qui prius in Ecclesia celebres fuissent; qui quidem quo propius aberant à prima fidei propagine & accepisse vera, & sensisse videri posset.* Habemus igitur in re tanta testem, atque adstipulatorem aduersarium; cui superstitiosiores nos videri cũ tota antiquitate non moleste feremus; dum ipse se suosque omnes veteris Ecclesiæ iudicio eo nomine piaculi reos esse fateatur. Nec dissimilia sunt quæ subiicit sect. 4 *Porro,* inquit, *ad superstitionem desperatio accessit; quæ fregit animos, & intercepit conatus illos, quibus assurgere posteriores quiq; ad maiora debuerant, de egregiorum virorum lucubrationibus, & scriptis non inertiam amplexi; sed ad maiorem iudicandi diligentiam, & industriam excitari.* Id ipsum in antiquis Patribus desiderat, quod suos factitare videt; qui non discendi, sed reprehendēdi studio maiorum scripta peruolutant; vt mirum non sit, si dum tam auide quærunt quod improbent, inducti peruersitate animi in eruditissimis voluminibus nihil probent. Sed reliqua audiamus. *At qui plerisq;,* inquit, *longe alius erat animus, quo eos, quibus se adiunxerant, ita putarunt absoluisse omnia, vt nihil sibi vltra perquirendum iudicarent; nihil putarent certius à quoquam aut sanius excogitari potuisse.* Neque verò excogitari quicquam debuit, cum ne illi quidem, qui primi scripserant, à se inuenta, sed accepta à maioribus traderent. Hæreticorum ea nota est, captare gloriam de singularitate scientiæ, vt ipsemet Abbatus ex Bernardo serm. 65. in Cant. testatur. Patres eam

eam disciplinam tuentur, quam ab Apostolis acceptam semper coluit Ecclesia; à qua qui discesserit; is nihil vnquam sani nihil certi afferre potest. Nam cetera, quæ ad explicationem fidei non faciebant, vsque adeò non religiosè in veterum scriptis posteriores Patres sectati sunt : vt nihil deterriti maiorum laboribus, clarissimis voluminibus Ecclesiam auxerint. Huc item spectat, quod eadem sectione scribit, *Ni posteriora quæq; tempora in superiorum ingeniis, & laboribus nimium acquieuissent: haud dubium esse, quin multo feliciores sacrarum litterarum tractatores, & interpretes proferri potuissent.* Atqui nulli vnquam hominum vitio quisquam vertit, quod nouis lucubrationibus sacras litteras illustrasset; nullo vnquã sæculo defuere permulti; qui in eo scribendi genere cũ laude versarentur. Sed ita tamen; vt à maiorum institutis, ac disciplina nunquam recederent, ita nouas interpretationes molirentur; vt maiorum vestigiis in dogmatis inhærerent; neque de eorum fide ac religione judicarent; quorum fidei se filios esse gloriarentur. Habemus igitur Abbato gratiam, atq; etiam agimus, quod tantam fuisse apud veteres traditionum religionem nobis vltro concesserit. neque enim eius rei caussa defectionis nos iure quisquam arguerit: quam constet sacrosanctam apud eos semper fuisse; qui tamen sine controuersia in vera Ecclesia floruerunt. Ipse contra negare non poterit, suarum partium homines ab ea Christi Ecclesia desciuisse, quæ veram Euangelij prædicationẽ etiam tum retineret; cum ea religiosè seruabat, quæ in nobis isti reprehendunt. 3.

Quanquam Abbatus quidem, vt video, quo est vel *Abbati e-*

tiam cōfes. lōgè diuersissimā Antich. notionem Patres habuerūt, quā nunc sectarij habeant.

stupore, vel impudentia. hæc non magnoperè moratur: quid enim si alia fuit veteris Ecclesiæ fides? Ita nulli parcit ranarum importuna loquacitas: vt Mineruæ etiam obstrepat. Itaque sine vlla tergiuersatione nobis dat, longè aliam fuisse notionem eam, quam de Antichristo iam inde à primis Ecclesiæ temporibus veteres habuerunt; aliam eam, quam è suorum somniis allegorici nescio cuius Antichristi nobis obtrudit. nimirum nihil apud istos ne ipsum quidem Christi Corpus, nisi allegoricum est, qua de re sect. prima capitis huius hæc scribit. *De Antichristo quidem materia erat lasciuientibus ingeniis aptissima; cuius nomē postquam in Ecclesia percrebuisset, captum est inquiri, quis ille, & qualis futurus; vbi & quando venturus; quid & quibus, & quomodo facturus esset, & curiosa temeritas, quod erat in scripturis obscurius, & Prophetia tenebris inuolutum; euolui sibi voluit & explicari, vt tanquam sub oculis Antichristum haberet, & illum clara luce conspicuum intueretur.* Vides quam altè notionis huius, quæ in Ecclesia semper de Antichristo viguit, originem repetat, cum parem eam ipsis Ecclesiæ incunabulis faciat? Nam Apostolorum tempore Antichristi nomen celeberrimū in Ecclesia fuisse satis ex eo constat: quod & Ioannes Apostolus Epist. prim. cap. secundo de eo quasi de re notissima loquitur. *Audistis*, inquit, *quoniam Antichristus venit*, & Paulus 2. Thessalonic. 3 de eo se iam ante coram disputasse commemorat. Neque verò poterat res tanta aut silentio ab Apostolis premi; aut audita fidelium sermonibus non celebrari. Neque negat Abbatus ipse iam inde ab Apostolorum discipulis eam Antichristi notionem in Ecclesia fuisse, quam cum in primæ sectionis clausula protulisset; ita insequentem

tem aggressus est. *Has fabulas*, inquit, *& alias nonnullas, quas Bellarminus perridiculus sophista demonstrationum nomine proponit, Papias, vt videtur, primus arripuit. qui miserrimo errore plus traditione viua vocis, quã consignatis scripturarum tabulis acquiescens, malefidis Apostolicorum virorum sectatoribus vltro se fallendum præbuit*, &c. At quis tandem, qualisue est fabulosus iste, atque vt tu mentiris, è somniis edolatus Antichristus? *Hinc illa manarunt*, inquit, sect. prima, *Antichristum fore Iudæum, & nasciturum ex tribu Dan, templum Hierosolymitanum instauraturum, ibi sessurum, ibi illum Iudæos veneraturos, deinde prælium cum gentibus facturum, subiugaturum sibi orbem terrarum, & hæc omnia tribus annis & dimidio facturum.* Quibus quamuis peruulgatis in Ecclesia, testatur ipse haud facile repertum esse quemquam, quantum quidem apparet, qui occurrerit; cuius rei causam sect. secunda extrema his verbis conatur reddere. *Quæ de Antichristo cõficta sunt*, inquit, *quia manifesta in illis fidei prauaricatio non apparuit*, (quam tamen isti vt sunt tota antiquitate tanto acutiores reuelato Lutheri Euangelio peruiderunt) *nihil mirum est insedisse tenacius, & apud posteros tanquam verissima prævaluisse, quæ maiorum, & quidem tanti nominis virorum auctoritate suscepta, & firmata sunt.* Huc etiam illa faciunt, quæ subiicit sect. 5. *Multa, quæ ab antiquissimis scriptoribus de Antichristo asseruntur, de tam infirmis, tam nullis argumentis esse profecta: vt illa constare posset, non nisi ab impostoribus, & hæreticis inuenta esse; aut certè non nisi per summam negligentiam tantis viris obrepere potuisse.* quibus illud etiam succinit, quo quintam illam sect. claudit. *Plura sunt*, inquit, *eiusmodi apud veteres à primis ferè temporibus accepta; quasi attentè posteri animaduertissent,*

sent, & ad seuerioris (Lutherani videlicet, aut Caluiniani) *inducij stateram appendissent, castigassent ipsi libros suos, & longè alias nobis de Antichristo sententias* prodidissent. Ex quibus illud efficitur eum, quem isti somniant Antichristum, inauditum penitus fuisse priscis Ecclesiæ sæculis: cum quem vetus Ecclesia futurum aliquando credidit, quemque nos antiquæ fidei sectatores in scripturis sacris traditum agnoscimus aduersariorum etiam testimonio nondum extitisse. Vt non iniuria rationes eas, quibus ad tantæ rei confessionem inuitos licet, ac reluctantes, eos compulit; demonstrationes appellauerit Bellarminus perridiculus scilicet ille sophista, cuius eruditio ita eos afflixit; vt vix oculos contra tollere audeant; ac vir ille demum doctissimus inter eos habeatur qui ex tantis eius libris pauculas aliquot pagellas per calumniam, quamuis magnis voluminibus carpserit.

4. *Abbas impiè in Patres inuehitur.*

Quæ res ita pupugit Abbatum vt inusitata quadam rabie in Patres inuectus sit. *Si oculos*, inquit, sect. 4. *aperuissent homines, & suam quãcunq; iudicandi facultatem adhibuissent; rescíscent optimè multa, quæ ab antiquissimis scriptoribus de Antichristo asseruntur, de tam infirmis, tam nullis argumentis esse profecta: vt illa cõstare posset non nisi ab impostoribus, & hæreticis inuenta esse; aut certè non nisi per summã negligentiam tantis ingeniis obrepere potuisse.* Agnosco Caluinianam in Patres pietatem, & obseruantiam. Igitur, si Deo placet Abbate, aut impostores, aut nullo planè iudicio præditi summi illi viri fuisse dicendi sunt? Si enim tam infirmis, ac planè nullis argumentis adducti sunt, vt ea docerent, quæ tu vir ingeniosus, & acutus in eorum scriptis reprehendis: vt si suam quamcun-

cunque iudicandi facultatem hoc est, etiam exiguam adhibuissent homines, facile iis constare potuerit non nisi ab impostoribus & hæreticis ea inuenta esse, aut nō nisi per summam negligentiam iis obrepere potuisse: profectò aut planè plumbei fuerunt; qui cum attente cogitarent; rem perspicuam, atque oculis omnium expositam non viderint; aut impostores, qui cum sentirent quid dicerent, scientes, volentesque Ecclesiam fefellerunt. Nam quod per summam negligentiam iis obrepsisse significas; primum turpissimam notam sanctissimis viris inuris; quos non oscitantes modò, quod ipsum grauissimum esset, sed planè somniantes de diuinis rebus scripsisse velis. Quantam enim eorum socordiam fuisse necesse est: quos tanto ingenio præditos, quanto vix vlli mortalium fuerunt, in rerum diuinarum tractatione res eæ fugerint, quæ quacunque hoc est etiam exigua, iudicandi facultate deprehendi, diiudicari potuerunt? Deinde rem narras planè incredibilem; qui enim fieri potuit, vt tam multos, tam doctos, tam ingeniosos viros, iisdem de rebus sæpius, atque otiosè cogitantes tantus animi torpor simul occuparit; vt non animaduerterint qd, aut quibus de causis, de re tanta, toties in sacris litteris, tanto apparatu repetita inter Christianos iam inde ab Apostolicis temporibus, vel teste te celeberrima, tam serio pronūciarint. At quos homines & quales viros? quem vniuersitatis florem? quæ mundi lumina tantæ socordiæ inertiæque condemnas? Hieronymum, Hilarium, Augustinum, Magnum Gregorium, Ambrosium, Sulpicium, Lactantium, Haymonem, Bedan, Anselmum, Sedulium, Prosperum, Primasium, duos Cyrillos, Epiphanium, Chrysostomum,

ſacras litteras interpretabantur. Sed cognoſcite reliqua. *Quæ verò*, inquit, *definitionibus iſtis de fermento Hæreticorum, & priuatis hominum opinionibus admixta ſunt: ea non dubito, quin ad efficaciam illuſionis pertinere debuerint, vt qui ſacris oraculis non contenti, fidem ſibi de placitis humanis petendam iudicarent; haberent in Patrum ſcriptis ad quod impingerent, & credulitate ſua duriores, & obſtinatiores efficerentur.* Id ſcilicet agebat Deus, vt nos Patrum erroribus falleret; atque in fraudem eos induceret; vt nos eorum fraude periremus. nam fraudem iſtam ad Deum paulò poſt refert egregius Caluini diſcipulus. *De Patrum ſcriptis*, inquit, *affirmare audeamus ſic eſſe Dei voluntate diſpoſita; vt quibus Chriſtum è ſcripturis callere non ſufficit: è Patribus fallantur de Antichriſto: & ei ſe ſubmittant, quem ſcripturæ deſcribunt: dum non alium illum futurum credunt; quàm à Patribus acceperunt.* Qualem enim illum futurum crederemus? qualem vos in veſtris cauernulis quoæratis? nam ſacris quidem litteris, vt par eſt verbo Dei, ſine controuerſia credimus; ſed quæ in iis obſcura atque inuoluta ſunt; eorum explicationem non proprio ingenio fingimus; ſed à patribus petendū exiſtimamus. Punit igitur nos Deus, ſi vera narras, non quod humanis quam diuinis litteris plus fidei tribuamus; ſed quod modeſtè de nobis demiſſeque ſentimus; ac ſtare Patrū, quam noſtro iudicio malumus. Cum tamē ſuperbis reſiſtat, humilibus det gratiam. Pergit. *Quod in aliis etiam nonnullis fidei capitibus contigiſſe non dubitamus; cum tam multa videamus apud Patres, quæ ſuperſtitioni aditum aperiant, & patrocinari videantur erroribus illis: quibus Antichriſtus orbem terrarum ſibi ſubiectum & captiuum tenere debuit*; quo loco, & ſi libentiſſimè accipimus quod dat

de iis

de iis fidei capitibus, quorum causa Antichristum nobis affingunt, aut omnibus, aut multis quidem certe Patres nobiscum sentire: tamen ne gratulari quidem sine dolore, ac stomacho possumus: quod Patres acerbis contumeliis homo perditus insectetur. At qui tandem factum Abbate putas, vt tantorum malorum segetem sanctissimorum virorum litteræ continerent? *Nam tantum illum seductorem,* inquit, *instrumenta seductionis habere oportuit; nec veram fidem excludere valere; nisi in promptu ratio esset, qua mendaciis suis speciem veritatis & colorum afferre posset. Quare quod diuinis oraculis satis commodè assequi non potuit; humanis erroribus obtinere voluit: vt qua veritate non posset; præscriptione temporis & antiqua saltem consuetudine commendaret.* Prodromos igitur Antichristi, ac magnæ illius seductionis administros Patres facis. Est ne quo progrediaris vlterius? Est vero, quid ni enim adiiciat aliquid ad impietatem suam is, cui quod extremum est aliis, non est satis? Audite. *Nam inprimis* inquit, *Satanæ cura fuit; vt ab initio fundamenta regni sui substrueret, & corruptelis suis gratiam, & auctoritatem conciliaret. Quod ita callidè molitus est, vt Patribus ipsis fucum faceret, & specie quadam probabilitatis induceret ad ea probanda, quæ post illorum auctoritate ad maximam pietatis iniuriam in Ecclesia retenta sunt.* At ô per Deum immortalem, quod istud est tam inexpiabile Abbati in Patres odium? Cœcitatis illos primum arguit, deinde dementiæ tum insaniæ; vt potuimus tantas blasphemias audiuimus. Neque his contentus addidit etiam diuino nutu Patrum litteras ita dispositas fuisse: vt qui eas veneramur, sacrilegij scilicet nostri pœnas, inducti eorum auctoritate in fraudem, lueremus. Erat hoc

2. *Traditionũ Abbato etiam teste maxima, atq; antiquissima in Ecclesia veneratio.*

Id adeò prisco more atq; antiquissima Ecclesiæ disciplina semper viguisse inficiari Abbatus ipse non potuit, cuius ea verba sunt sect. 3. *Enimuerò apud Antiquos superstitio illa plus satis inualuit, qua piaculum esse credebatur ab illorum instituto, & sententia recedere, qui prius in Ecclesia celebres fuissent; qui quidem quo propius aberant à prima fidei propagine & accepisse vera, & sensisse videri posset.* Habemus igitur in re tanta testem, atque adstipulatorem aduersarium; cui superstitiosiores nos videri cũ tota antiquitate non moleste feremus; dum ipse se suosque omnes veteris Ecclesiæ iudicio eo nomine piaculi reos esse fateatur. Nec dissimilia sunt quæ subiicit sect. 4 *Porro,* inquit, *ad superstitionem desperatio accessit; quæ fregit animos, & intercepit conatus illos, quibus assurgere posteriores quiq; ad maiora debuerant, de egregiorum virorum lucubrationibus, & scriptis non inertiam amplexi; sed ad maiorem iudicandi diligentiam, & industriam excitari.* Id ipsum in antiquis Patribus desiderat, quod suos factitare videt; qui non discendi, sed reprehendẽdi studio maiorum scripta peruolutant; vt mirum non sit, si dum tam auide quærunt quod improbent, inducti peruersitate animi in eruditissimis voluminibus nihil probent. Sed reliqua audiamus. *At qui plerięq;,* inquit, *longe alius erat animus, quo eos, quibus se adiunxerant, ita putarunt absoluisse omnia, vt nihil sibi vltra perquirendum iudicarent; nihil putarent certius à quoquam aut sanius excogitari potuisse.* Neque verò excogitari quicquam debuit, cum ne illi quidem, qui primi scripserant, à se inuenta, sed accepta à maioribus traderent. Hæreticorum ea nota est, captare gloriam de singularitate scientiæ, vt ipsemet Abbatus ex Bernardo serm. 65. in Cant. testatur. Patres eam

eam disciplinam tuentur, quam ab Apostolis acceptam semper coluit Ecclesia; à qua qui discesserit; is nihil vnquam sani nihil certi afferre potest. Nam cetera, quæ ad explicationem fidei non faciebant, vsque adeò non religiosè in veterum scriptis posteriores Patres sectati sunt: vt nihil deterriti maiorum laboribus, clarissimis voluminibus Ecclesiam auxerint. Huc item spectat, quod eadem sectione scribit, *Ni posteriora quæq; tempora in superiorum ingeniis, & laboribus nimium acquieuissent: haud dubium esse, quin multo feliciores sacrarum litterarum tractatores, & interpretes proferri potuissent.* Atqui nulli vnquam hominum vitio quisquam vertit, quod nouis lucubrationibus sacras litteras illustrasset; nullo vnquã sæculo defuere permulti; qui in eo scribendi genere cũ laude versarentur. Sed ita tamen; vt à maiorum institutis, ac disciplina nunquam recederent, ita nouas interpretationes molirentur; vt maiorum vestigiis in dogmatis inhærerent; neque de eorum fide ac religione iudicarent; quorum fidei se filios esse gloriarentur. Habemus igitur Abbato gratiam, atq; etiam agimus, quod tantam fuisse apud veteres traditionum religionem nobis vltro concesserit. neque enim eius rei caussa defectionis nos iure quisquam arguerit: quam constet sacrosanctam apud eos semper fuisse; qui tamen sine controuersia in vera Ecclesia floruerunt. Ipse contra negare non poterit, suarum partium homines ab ea Christi Ecclesia desciuisse, quæ veram Euangelij prædicationẽ etiam tum retineret; cum ea religiosè seruabat, quæ in nobis isti reprehendunt.

Quanquam Abbatus quidem, vt video, quo est vel *Abbati s-* 3.

tiam cõfes. lõgè diuersissimã Antich. notionem Patres habuerũt, quã nunc sectarij habeant.

stupore, vel impudentia. hæc non magnoperè moratur: quid enim si alia fuit veteris Ecclesiæ fides? Ita nulli parcit ranarum importuna loquacitas: vt Mineruæ etiam obstrepat. Itaque sine vlla tergiuersatione nobis dat, longè aliam fuisse notionem eam, quam de Antichristo iam inde à primis Ecclesiæ temporibus veteres habuerunt; aliam eam, quam è suorum somniis allegorici nescio cuius Antichristi nobis obtrudit. nimirum nihil apud istos ne ipsum quidem Christi Corpus, nisi allegoricum est, qua de re sect. prima capitis huius hæc scribit. *De Antichristo quidem materia erat lasciuientibus ingeniis aptissima; cuius nomẽ postquam in Ecclesia percrebuisset, captum est inquiri, quis ille, & qualis futurus; vbi & quando venturus; quid & quibus, & quomodo facturus esset, & curiosa temeritas, quod erat in scripturis obscurius, & Prophetia tenebris inuolutum; euolui sibi voluit & explicari, vt tanquam sub oculis Antichristum haberet, & illum clara luce conspicuum intueretur.* Vides quam altè notionis huius, quæ in Ecclesia semper de Antichristo viguit, originem repetat; cum parem eam ipsis Ecclesiæ incunabulis faciat? Nam Apostolorum tempore Antichristi nomen celeberrimũ in Ecclesia fuisse satis ex eo constat: quod & Ioannes Apostolus Epist. prim. cap. secundo de eo quasi de re notissima loquitur. *Audistis*, inquit, *quoniam Antichristus venit*, & Paulus 2. Thessalonic. 3 de eo se iam ante coram disputasse commemorat. Neque verò poterat res tanta aut silentio ab Apostolis premi; aut audita fidelium sermonibus non celebrari. Neque negat Abbatus ipse iam inde ab Apostolorum discipulis eam Antichristi notionem in Ecclesia fuisse, quam cum in primæ sectionis clausula protulisset; ita insequentem

tem aggressus est. *Has fabulas*, inquit, *& alias nonnullas, quas Bellarminus perridiculus sophista demonstrationum nomine proponit, Papias, vt videtur, primus arripuit. qui miserrimo errore plus traditione viuæ vocis, quã consignatis scripturarum tabulis acquiescens, malefidis Apostolicorum virorum sectatoribus vltro se fallendum præbuit*, &c. At quis tandem, qualisue est fabulosus iste, atque vt tu mentiris, è somniis edolatus Antichristus? *Hinc illa manarunt*, inquit, sect. prima, *Antichristum fore Iudæum, & nasciturum ex tribu Dan, templum Hierosolymitanum instauraturum, ibi sessurum, ibi illum Iudæos veneraturos, deinde prælium cum gentibus facturum, subiugaturum sibi orbem terrarum, & hæc omnia tribus annis & dimidio facturum.* Quibus quamuis peruulgatis in Ecclesia, testatur ipse haud facile repertum esse quemquam, quantum quidem apparet, qui occurrerit; cuius rei causam sect. secunda extrema his verbis conatur reddere. *Quæ de Antichristo cõficta sunt*, inquit, *quia manifesta in illis fidei præuaricatio non apparuit*, (quam tamen isti vt sunt tota antiquitate tanto acutiores reuelato Lutheri Euangelio peruiderunt) *nihil mirum est insedisse tenacius, & apud posteros tanquam verissima præualuisse, quæ maiorum, & quidem tanti nominis virorum auctoritate suscepta, & firmata sunt.* Huc etiam illa faciunt, quæ subiicit sect. 5. *Multa, quæ ab antiquissimis scriptoribus de Antichristo asseruntur, de tam infirmis, tam nullis argumentis esse profecta: vt illa constare posset, non nisi ab impostoribus, & hæreticis inuenta esse; aut certè non nisi per summam negligentiam tantis viris obrepere potuisse.* quibus illud etiam succinit, quo quintam illam sect. claudit. *Plura sunt*, inquit, *eiusmodi apud veteres à primis ferè temporibus accepta; quasi attentè posteri animaduertissent,*

sent, & ad seuerioris (Lutherani videlicet, aut Caluiniani) *inducij stateram appendissent, castigassent ipsi libros suos, & longè alias nobis de Antichristo sententias* prodidissent. Ex quibus illud efficitur eum, quem isti somniant Antichristum, inauditum penitus fuisse priscis Ecclesiæ sæculis: eum quem vetus Ecclesia futurum aliquando credidit, quemque nos antiquæ fidei sectatores in scripturis sacris traditum agnoscimus aduersariorum etiam testimonio nondum extitisse. Vt non iniuria rationes eas, quibus ad tantæ rei confessionem inuitos licet, ac reluctantes, eos compulit; demonstrationes appellauerit Bellarminus perridiculus scilicet ille sophista, cuius eruditio ita eos afflixit; vt vix oculos contra tollere audeant; ac vir ille demum doctissimus inter eos habeatur qui ex tantis eius libris pauculas aliquot pagellas per calumniam, quamuis magnis voluminibus carpserit.

4. *Abbas impiè in Patres inuehitur.* Quæ res ita pupugit Abbatum vt inusitata quadam rabie in Patres inuectus sit. *Si oculos*, inquit, sect. 4. *aperuissent homines, & suam quãcunque iudicandi facultatem adhibuissent; resciscent optimè multa, quæ ab antiquissimis scriptoribus de Antichristo asseruntur, de tam infirmis, tam nullis argumentis esse profecta: vt illa cõstare posset non nisi ab impostoribus, & hæreticis inuenta esse; aut certè non nisi per summã negligentiam tantis ingeniis obrepere potuisse.* Agnosco Caluinianam in Patres pietatem, & obseruantiam. Igitur, si Deo placet Abbate, aut impostores, aut nullo planè iudicio præditi summi illi viri fuisse dicendi sunt? Si enim tam infirmis, ac planè nullis argumentis adducti sunt, vt ea docerent, quæ tu vir ingeniosus, & acutus in eorum scriptis reprehendis: vt si suam quam-

cun-

cunque iudicandi facultatem hoc est, etiam exiguam adhibuissent homines, facile iis constare potuerit non nisi ab impostoribus & hæreticis ea inuenta esse, aut nō nisi per summam negligentiam iis obrepere potuisse: profectò aut planè plumbei fuerunt; qui cum attente cogitarent; rem perspicuam, atque oculis omnium expositam non viderint; aut impostores, qui cum sentirent quid dicerent, scientes, volentesque Ecclesiam fefellerunt. Nam quod per summam negligentiam iis obrepsisse significas; primum turpissimam notam sanctissimis viris inuris; quos non oscitantes modò, quod ipsum grauissimum esset, sed planè somniantes de diuinis rebus scripsisse velis. Quantam enim eorum socordiam fuisse necesse est: quos tanto ingenio præditos, quanto vix vlli mortalium fuerunt, in rerum diuinarum tractatione res eæ fugerint, quæ quacunque hoc est etiam exigua, iudicandi facultate deprehendi, diiudicari potuerunt? Deinde rem narras planè incredibilem; qui enim fieri potuit, vt tam multos, tam doctos, tam ingeniosos viros, iisdem de rebus sæpius, atque otiosè cogitantes tantus animi torpor simul occuparit; vt non animaduerterint qd, aut quibus de causis, de re tanta, toties in sacris litteris, tanto apparatu repetita inter Christianos iam inde ab Apostolicis temporibus, vel teste te celeberrima, tam serio pronūciarint. At quos homines & quales viros? quem vniuersitatis florem? quæ mundi lumina tantæ socordiæ inertiæque condemnas? Hieronymum, Hilarium, Augustinum, Magnum Gregorium, Ambrosium, Sulpicium, Lactantium, Haymonem, Bedan, Anselmum, Sedulium, Prosperum, Primasium, duos Cyrillos, Epiphanium, Chrysostomum,

Theodoretum, Occumenium, Theophylactum, Aretã, Damascenum, atque his omnibus tanto antiquiores Origenem, Tertullianum, Hippolytum, & Irenæum par nobile martyrum, horum enim omnium testimoniis insaniam vestram coarguit Bellarminus. In quorum cõspectum si venire te coëgero Physignathe, si augustissimum illum senatum circumspicere, si singulorum ora; vultusque intueri iussero; quamuis vocalissimus sis, atque disertus Hypsiboæ cuipiam, aut Polyphono forte videaris: tantæ sapientiæ Maiestate perculsum, vox te sensusque destituent, tu ne hiscere quidem contra, ne dum quicquam proloqui audeas; & tamen quia satis latere in cœnulo tuo tibi videbaris, nec præsentium ora reformidabas, vt te tui similibus strenuè impium & Caluinianum probares; homines impudentissimè maledictis proscidisti. Qualia enim sunt illa, quæ eodem loco subdis? *Qui* (ex Patribus) *alioqui perspicaces, & nasuti videntur.* Religioni tibi duxisses, si vel tantillum tantis viris tribuere visus esses? Perspicaces eos videri vis, neque verò etiam esse; sed isti qui alioqui perspicaces, & nasuti videntur: quid tandem Abbate? *Hic*, inquit, *tanquã euulsis oculis plerunque cæcutiunt, & cum Homero dormitant, & sibi ipsi non constant, & alij aliorum sententias prorsus euertunt.* Satis ne nobis in Patres contumeliosus videtur? attendite reliqua, eadẽ sectione non ita multo post cum antilogiam nescio quam in Patribus depræhendisse sibi videretur. *Quæ ita nullo modo*, inquit, *conciliari possunt; vt extasim passi videantur, qui hæc tam dissentientia cogunt in vnum, & omnia simul Antichristi causæ seruire compellunt.* Videtis quàm contemptim Patres simul omnes exagitet? Certè dementem totam

anti-

antiquitatem hoc loco facit; pergit. *Enimuero*, inquit, sect. 6. *nihil illis de Antichristo certum, nihil exploratum fuisse; palam ostendunt variæ repugnantesq́; sententiæ, quas siuè falsas confingunt, siuè veras consectant; dum alij aliorum traditionibus acquiescere non possunt.* Quibus verbis non modo leuitatis, atque inertiæ Patres accusat vniuersos, quicunque de Antichristo scripserunt; sed falsi etiam illis crimen affingit, qui falsas sibi sententias ipsi cōfinxerint; hoc est, vt iam ante dixerat sine vllo solido fundamento ad libidinem videlicet excogitauerint; quæ deinde quasi petita è scripturis dogmata venditarent. Addite etiam illud quod sect. 5. extrema subiecit: *Quanquā*, inquit, *illud quoq́; non nihil est; quod Antichristi tempus ità definiunt: & tamen ea narrant de regno Iudæorum adipiscendo, de templo Hierosolymitano ædificando, de Orbe terrarum occupando, de Christi fide, & cultu per totum orbem subuertendo: quæ nemo sanus vnquam credidisset in illis temporum angustiis expediri potuisse*, quo loco à te Abbate homine impio requiro: satis sanum te esse existimares cum ista scriberes? insaniæ tu Physignathe totam antiquitatem accusas? quemquam ne sanum futurum putas; qui furiosam istam arrogantiam ferat? Neque illud multò modestius, quo sextam sectionem claudit, *In tanta*, inquit, *opinionum varietate, in tam distractis sententiis: quis Antichristi certam notitiam expectet? vbi qui sibi plurimorum iudicio standum arbitretur; nihil reperiat, nisi quod vnus aliquis initio dixit, quem reliqui postea animi causa magis; quam certa ratione Magistrum, & auctorem sequuti sunt.* Nugabantur videlicet Patres, cum de re tanta disputarent; & quemadmodum Lutherus inter pocula de scripturis iudicium ferebat; ita ipsi ludibundi, atque animi causa

sacras

ſacras litteras interpretabantur. Sed cognoſcite reliqua. *Quæ verò*, inquit, *definitionibus iſtis de fermento Hæreticorum, & priuatis hominum opinionibus admixta ſunt: ea non dubito, quin ad efficaciam illuſionis pertinere debuerint, vt qui ſacris oraculis non contenti, fidem ſibi de placitis humanis petendam iudicarent; haberent in Patrum ſcriptis ad quod impingerent, & credulitate ſua duriores, & obſtinatiores efficerentur.* Id ſcilicet agebat Deus, vt nos Patrum erroribus falleret; atque in fraudem eos induceret; vt nos eorum fraude periremus. nam fraudem iſtam ad Deum paulò poſt refert egregius Caluini diſcipulus. *De Patrum ſcriptis*, inquit, *affirmare audeamus ſic eſſe Dei voluntate diſpoſita; vt quibus Chriſtum è ſcripturis callere non ſufficit: è Patribus fallantur de Antichriſto: & ei ſe ſubmittant, quem ſcripturæ deſcribunt: dum non alium illum futurum credunt; quam à Patribus acceperunt.* Qualem enim illum futurum crederemus? qualem vos in veſtris cauernulis quoaxatis? nam ſacris quidem litteris, vt par eſt verbo Dei, ſine controuerſia credimus; ſed quæ in iis obſcura atque inuoluta ſunt; eorum explicationem non proprio ingenio fingimus; ſed à patribus petendũ exiſtimamus. Punit igitur nos Deus, ſi vera narras, non quod humanis quam diuinis litteris plus fidei tribuamus; ſed quod modeſtè de nobis demiſſeque ſentimus; ac ſtare Patrũ, quam noſtro iudicio malumus. Cum tamẽ ſuperbis reſiſtat, humilibus det gratiam. Pergit. *Quod in aliis etiam nonnullis fidei capitibus contigiſſe non dubitamus; cum tam multa videamus apud Patres, quæ ſuperſtitioni aditum aperiant, & patrocinari videantur erroribus illis: quibus Antichriſtus orbem terrarum ſibi ſubiectum & captiuum tenere debuit;* quo loco; & ſi libentiſſimè accipimus quod dat

de iis

de iis fidei capitibus, quorum causa Antichristum nobis affingunt, aut omnibus, aut multis quidem certe Patres nobiscum sentire: tamen ne gratulari quidem sine dolore, ac stomacho possumus: quod Patres acerbis contumeliis homo perditus insectetur. At qui tandem factum Abbate putas, vt tantorum malorum segetem sanctissimorum virorum litteræ continerent? *Nam tantum illum seductorem*, inquit, *instrumenta seductionis habere oportuit; nec veram fidem excludere valere; nisi in promptu ratio esset, qua mendaciis suis speciem veritatis & colorum afferre posset. Quare quod diuinis oraculis satis commodè assequi non potuit; humanis erroribus obtinere voluit: vt qua veritate non posset; præscriptione temporis & antiqua saltem consuetudine commendaret.* Prodromos igitur Antichristi, ac magnæ illius seductionis ministros Patres facis. Est ne quo progrediaris vlterius? Est vero, quid ni enim adiiciat aliquid ad impietatem suam is, cui quod extremum est aliis, non est satis? Audite. *Nam inprimis* inquit, *Satanæ cura fuit; vt ab initio fundamenta regni sui substrueret, & corruptelis suis gratiam, & auctoritatem conciliaret. Quod ita callidè molitus est, vt Patribus ipsis fucum faceret, & specie quadam probabilitatis induceret ad ea probanda, quæ post illorum auctoritate ad maximam pietatis iniuriam in Ecclesia retenta sunt.* At ô per Deum immortalem, quod istud est tam inexpiabile Abbati in Patres odium? Cœcitatis illos primum arguit, deinde dementiæ tum insaniæ; vt potuimus tantas blasphemias audiuimus. Neque his contentus addidit etiam diuino nutu Patrum litteras ita dispositas fuisse: vt qui eas veneramur, sacrilegij scilicet nostri pœnas, inducti eorum auctoritate in fraudem, lueremus. Erat hoc

contumeliosum in Deum, Patribus indecorum; sed quia non alium Deum è Caluiniana disciplina didicerat; quam malorum omnium, ac flagitiorum auctorem, mirati non sumus, si cui blasphemiæ iam inde à puero assueuerat; ab ea non abhorreret. Denique ne nimium Patribus tribuere videretur, si eos à Deo per se in nostram perniciem deceptos diceret; seductoris instrumẽta, atque administros Satanæ eos appellauit; quorum auctoritate, quasi lenociniis, gratiam impietati Conciliaret, ac virginalem Ecclesiæ integritatem teterrimus adulter impiorum dogmatũ admistione corrumperet. Nimirum illis quoque vt Luthero vestro cum Satana plusquam frustum salis comedendum fuerat; atq; nocturnis cum eo congressionibus addiscendum, missam abrogari oportere: ne eorum scripta in suspicionem minus probatæ doctrinæ vocarentur: nunc quoniam vitæ sanctitatem, atque innocentiam coluerunt; pleni Satana eas litteras exararunt.

5. *Responsio ad ea, quæ ab Abbato Patrum de Antich. doctrina obiiciuntur.*

Nunc demum intelligo quantum beneficium ab Abbato B Hilarius tulerit quod, sect. 5. extrema tam benigne acceptus ab eo sit. *Illud Hilarij*, inquit, *vbi de Antichristo suscipiendo loquitur, proprius iste Iudaea error erit, quis existimet homini sua verba cogitanti excidere potuisse?* quid ita? *cum tam apertè*, inquit, *scriptura denunciet facturum Antichristum, vt bibant omnes gentes de vino iræ fronicationis eius, & errent in veneficiis illius.* Sit ita sanè quãdo ita tibi vel videtur, vel placet, quæ de Babilonica meretrice in Apocalypsi scribuntur, de Antichristo intelligenda sint, quanquã vix possunt ad eum aptè detorqueri; sed sit ita sanè, vt tibi placet: quid tandem, in his Hilarij verbis reprehendis homo diserte? aut quænam

ista

ista tua consequutio est? faciet Antichristus, vt bibant omnes gentes de vino iræ fornicationis eius, & errent in veneficiis illius; igitur proprius iste iudææ error non erit. Etiam ne si ex Iudæis ortus, eorum studiis ad regnum euectus, eorum armis ac viribus in vniuersum terrarum orbem imperium proferat, ac tueatur? An tu ne dialecticis quidem imbutus es? vt ex Prophyrio didiceris, non vno modo proprium dici, neque id solum esse proprium, quod soli acciderit? Nam Aristotelicum illud ex 2. metaphy. quod paulò videatur abstrusius à te non exigio, id ipsum maximè aliorum esse secundum quod cæteris insit vniuocatio. vt ignem calidissimum; quia ceteris est caliditatis causa, vnde etiam communis loquendi consuetudo obtinuit; vt quæ in vna aliqua re certam sibi sedem, ac veluti domiciliũ collocassent, quamuis in aliis quoque aliquando reperirentur; ea eius rei propria dicerentur; quo fit, vt cum calore nihil ferè destituatur; nemo tamen dubitet, propriam esse ignis qualitatem Sed ad hæc hæres attonitus : an ne in Rhetorum quidem scholis versatus es? aut vnquam ne fando quidem audisti præstantissimum quemque artificem, artificij sui quasi proprio sibi vocabulo antonomasticè nominari solere? qua ratione Homerum aut Virgilium poëtas dicimus, Demosthenem aut M. Tullium oratores. Quod si, quo stupore es animi, ne hæc quidem intelligis, an ne illud quidem ex triuiis capies? Cum Iacobum Stuartum proprium Britannorum Regem dicimus, non eam ob rem Ibernos eximi. Quid igitur mirum, si proprium illum errorem Iudææ B. Hylarius dixerit? qui quanquam in alias quoque gentes; ex Iudæa tamen permanaturus est? Videturne tibi sua ver-

ba Dominus cogitasse, cum diceret se missum non esse, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël? Mathæi 15 25. an ideò non ad omnes gentes pertinuit eius missio; qui datus est in lucem gentium, vt sit salus eius vsque ad extremum terræ? Isai. 49. Hæc tu si quicquam boni nosses, ante didicisses; quàm ad scripturarum tractationem accederes. Nam quod eadem secta non vnum aliquem ex Patribus, sed vniuersos derides iis verbis: *Receptum est antiquitus, Antichristum nasciturum ex Iudæis de tribu Dan. quid ita verò? quia tribus illa apud Ioannem in Apocalypsi non commemoratur, vbi consignantur electi ex omnibus tribubus Israëlis; atqui neque tribus Ephraim ibi commemoratur, qui minus Antichristus de tribu Ephraim, quàm de tribu Dan? minimè verò; quia de illo Iacob quoque vaticinatus est; fiat Dan coluber in vna, Cerastes in semita, & Hieremias; à Dan auditus est fremitus equorum eius. Ita quidem Irenæus, & tota Patrum gens; Sed longè aliter & certius quidem Hieronymo visum est: locum alterum de Sampsone, alterum de Nabuchodonosoris in Iudæam aduentu intelligi oportere.* Quod, inquam, Patres eam ob causam derides; nihilo sapientius facis; quid enim si de Sampsone vt B. Hieronymo placuit vaticinium illud Iacobi intelligendum est; ideo ne euinces, non posse etiam de Antichristo exponi? an ita pergrinaris in hoc scripturarum studio; vt nunquam audiueris vnum, & eundem Diuinæ scripturæ locum ita de pluribus simul rebus intelligi posse; vt eas omnes cōprehenderit illis verbis Spiritus sanctus, cum ea dictaret? Certè dubitare non possumus, quin illa Oseæ verba cap. 11. Ex Ægypto vocaui filium meum, de Christo Domino intelligi debeant, cum eam illorū interpretationem attulerit apud Matthæum cap. 2. ipse scriptu-

sarum

rarum conditor Spiritus sanctus; at si quis eadem apud Osæam legerit de Populo Israël, quem Deus quasi filium adamauit, atque Ægyptiorum seruitute miserrimè oppressum diuinitus liberauit, ea scripta esse ex ipso verborum textu apertissimè deprehendet. Vtram igitur eorum verborum interpretationem recipies? eamne, quam locus ipse prætendit? at reclamat Euangelista. Euangelistam sequeris? at repudiari se verborum ac rerum, quæ apud Prophetam leguntur, series ipsa non patitur. vt nisi sacris ipsis oraculis fidem abrogemus, vtraque intelligentia germanam eius loci sententiam exprimi nobis necessario dicendum sit. Accedat ad hunc alter ex Matthæi Euangelio locus; qui eodem planè capite, ea Hieremiæ verba. *Vox in Rhama audita est ploratus, & vlulatus multus. Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt*; de cæde puerorum infantiũ, quos Herodes trucidandos curauit, interpretatus est. at ea apud Hieremiam cap. 31 de Transmigratione populi dicta esse locus ipse Prophetæ apertè demonstrat. vt nisi vtranque hanc eius loci sententiam admittamus: nobis aut Euangelista deserendus sit, aut Propheta? quid igitur impedit quo minus ita B. Hieronymo assentiamur de Sampsone vaticiniũ illud interpretanti; vt à reliquorum Patrum sententia non recedamus? Præcipuè cum neutram harum interpretationum locus ille aut respuat, aut magnoperè exigat. Nam quod moriturus Pater filiis fausta omnia precari, non infausta nunciare debuisse videtur viris doctissimis; habet illud quidem probabilitatem nonnullam: non eiusmodi tamen, vt cogat nos ab Antiquissimorum Patrum explicatione discedere. Certè Iacob ipse vaticinans hoc tantum præ-

fatus est, annunciaturum se filiis quæ ventura essent in diebus nouissimis; fausta ne an infausta, omnino reticuit. Neque verò benè precatus est filio, aut fausta prædixit, cum de Ruben illa pronunciaret; *effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile Patris tui, & maculasti stratum eius. (Ac ne illa quidem benedictio videtur Simeon & Leui:) vasa inquitatis bellantia; in consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non sit gloria mea. quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura diuidam eos in Iacob, & disperdam eos in Israël.* Eadem in oraculum illud Hieremiæ conueniunt; quod ita de Nabuchodonosoris in Iudæam aduentu potest intelligi: vt iisdem etiam verbis significare Antichristum eo loco potuerit Spiritus sanctus. voluisse autem, si Patres id pro certo affirmarent, satis ex eo colligeremus quod scriptores Apostolicorum vicini temporum, qui porro hęc ab Apostolorũ disciplinis audire potuerant, eum locum ad Antichristum referrent. Iam quod vitio viris doctissimis Abbatus vertit, quod sententiã hanc confirment ex Apocalypsis capite septimo ridiculus ipse est. Vt enim non negauerim, id quod Bellarminus concedit, ex eo loco non vsque adeò manifestè colligi futurum Antichristum ex tribu Dan, cũ omittendæ in electorum consignatione eius tribus alia quoque causa esse fortasse potuerit: grande tamen momentum in eo loco esse, si cum duobus illis superiorib. coniungatur, quicquid Physignathus obstrepat, negari nõ potest. Neq; enim quęro in pręsẽtia cur Patriarchæ Dan in ea tribuũ enumeratione nomẽ non omissum sit, nam vt animaduertit vir doctissimus Bellarminus,

nus, ne Ephraim quidem tantæ tribus Patriarcha catalogo illi adſcriptus eſt. Sed abs te Abbate, qui cum Bellarmini, à quo locum hunc mutuatus es, verba minus attentè obſeruaſſes, controuerſiam à Patriarchis ad tribus ipſas ſtolide transtuliſti, illud ſcire peruelim, cur tribus Dan omnino excluſa ab ea electorum Dei conſignatione fuerit. Nam miſerum tuum illud effugium, quia ne tribus quidem Ephraim eo loco numerata eſt: inſcitiam tuam prodit, difficultatem non ſoluit. Cum enim in Ephraim, & Manaſſem Ioſephi nepotes diuiſi ſint, atque in eo Catalogo tribus altera Manaſſe, altera Ioſephi commemoretur; adeò ne es hebes vt non intelligas, tribum Ephraim non prætermiſſam, ſed aui nomine in ea numeratione appellatam fuiſſe? Quid cauſæ igitur eſt, inquies, cur eam ſententiam tam probatam Patribus, tam ſacris litteris conſentaneam, minus certam eſſe dicatis? Quia vt animaduertit Bellarminus, & Patres, qui eam tuentur, non niſi probabilem eam eſſe inſinuant; & duo illa ſcripturæ teſtimonia commodiorem aliam interpretationem admittunt, ſine quibus Apocalypticus hic locus nihil euincit. Quamquam enim non dubitamus, non ſine grandi myſterio factum eſſe, vt ea tribus omiſſa ſit; cauſam tamen, quæ in arcanis diuinæ ſapientiæ latet, neque colligi ex ſacris litteris poteſt, nec ſcire poſſumus, neq; diuinare velle Chriſtianæ modeſtiæ ducimus. Quem ad locum ne redire deinde cogar, cum de Abbati impoſturis, calumniiſque diſputabo, illud lectores obiter monitos volo, Bellarminum hoc loco peſſima fide ab Abbato citari. Poſt allatam enim ex Hieronymo eorum locorum interpretationem, de quibus nunc vſque diſputauimus; *Quod ita*

certum

certum est, inquit, *vt Bellarminum ipsum planè pudeat antiquæ vanitatis; & agnoscat locis illis conuinci non posse: quod tamē tanto consensu veteribus visum est.* At audi Bellarminum ipsum cap. 12. quo capite enumeratis Patrum pro ea sententia testimoniis. *Hæc sententia*, inquit, *est valdè probabilis propter tantorum Patrum auctoritatem: non tamen omnino certa. tum quia plerique eorum Patrum non dicunt hoc se scire, sed probabile esse insinuant. tum quia nulla earum scripturarum conuincit.* Vides quàm illa falso de viro Patrū, atque antiquitatis obseruantissimo homo impudentissimus scripserit? Sed reliqua videamus. Obiicit præterea Patribus, idque ad nauseam vsque repetit, quod Antichristi imperium trium annorum, ac dimidij spatio definierint. id quod duplici ratione in suspicionem falsitatis vocare nititur. Altera ex eo petitur, quod quæ de Antichristi regno, rebusq; gerendis scribuntur, iis temporum angustiis nullo modo videntur posse concludi: ita sectione illa 5. *Illud quoque*, inquit, *non nihil est, quod Antichristi tempus ita definiunt, & tamen ea narrant de regno Iudæorum adipiscendo, de templo Hierosolymitano ædificando, de orbe terrarum occupando, de Christi fide, & cultu per totum orbem subuertendo, quæ nemo sanus vnquàm credidisset illis temporum angustiis expediri potuisse.* Id quod integra etiam octaui capitis sectione inculcat. Quam ego rationem, si in cuiusquàm scriptis reperissem, qui bonas litteras nosset: insanire eum credidissem. Quis enim, qui modo veterem historiam à limine salutarit, ignorare potest; quam paruis sæpe momentis maximæ rerum inclinationes fiant? Vt quæ longissimo tempore, ac labore maximo fieri non potuerunt: vna sæpe die, atque adeo vno temporis articulo conficiantur. Quanto tem-

to tempore cum Philippo Persei Patre bellum populus Romanus gessit? At is ita tandem Romanis ducibus cessit, vt Macedoniæ regno non cesserit, ac ne imminuerit quidem. Perseus ipse contempta Romanorum amicitia, susceptum cum iis bellum ita gessit; vt vix vllo accepto detrimento, nonnullo etiam illato in quartum vsque annum magna cum Romani nominis ignominia traxerit. Cui tanto, tamque diuturno bello non plus quindecim dierum spatio finem ita Lucius Paulus consul imposuit: vt Macedoniam tam florens, atque opulentum regnum, in prouinciam populi Romani redegerit. Quod si futurum quispiam aliquando dixisset, rerũ minus peritis insanire, ac vaticinari visus esset. Ab exercitu Palæstino salutato Imperatori Vespasiano ceteris prouinciis in Oriente præfecti se suosque exercitus sponte submiserunt. Itaque Syriam primum, tum Ægyptum, deinde Mysiam, atque Pannoniam, post Africam sibi adiunxit. Denique vrbe per Antonium recepta, occisoque Vitellio, quarto aut sexto, ad summum mense post delatum à militibus imperium, quidquid erat Romanæ ditionis in potestatem redegit. Quis iis temporis angustiis tantum imperium à Palæstinæ, hoc est, non maximæ Prouinciæ duce, occupari posse credidisset? Desertor fidei Iulianus, haud multò plus spatij in obtinenda tyrannide posuit. Nam militaribus studiis in Gallia appellatus Imperator, tantæ rei nuncio attonitum occidentem continuo suæ ditionis; tum anno necdum etiam elapso ad occupandam Constantinopolim cum exercitu contendens, certusque de rerum summa cum Constantio decernere; eo interim morte sublato rerum nullo repugnante potitus est. Selimus Baiazeti

filius natu minimus Turcarum regnum, ad quod aspirare ne Patre quidem mortuo poterat, aggressus, eo etiam tum viuo quærere, re prius infeliciter bello tentata, astu demum, ac largitionibus assequutus, paucis diebus patrem regno, ac vita exuit. Fratrem alterum necauit; alterum bello persequutus exegit. Idem Sultanum Ægypti dominum adortus, duobus, tribusuè præliis Ægypto, ac Palæstina ad imperium adiectis; breuissimo temporis spatio debellauit. Quæ nisi facta esse sciremus, fieri non posse crederemus. A vobis denique ipsis exemplum petam. Si quis ante annos octoginta futurum aliquando dixisset, vt vno die tota Anglia in Scotorum regis potestatem veniret; credibilia ne sano cuiquàm, ac rerum vestrarum perito narrare visus esset? At id ita accidisse vos ipsi testamini, & si tibi credimus, etiam gratulamini. Neque desunt in scripturis exempla. Vnius diei seditio regnum decem tribuum ad Hieroboam detulit. Iehu militum studiis diuino instinctu ad se repente conuersis rex appellatus, breuissimo spatio regnum obtinuit. Sexcenta denique exempla tum sacra, tum prophana historia suppeditat; vt satis mirari non possim debilitatem mentis tuæ: qui non intelligas quãuis nesciamus quibus opportunitatibus ad tantum imperium tam breui euasurus sit Antichristus: eas tamen plurimas esse posse. An fieri facillimè non potest, vt occupandæ Iudææ præfectura aliqua quam tum fortè gerat, Antichristo opportunitatem offerat? illi se volentes finitimi, vt olim Vespasiano, iungant; tum tribus exercitibus per duces suos signa eodem tempore cum Ægypti, Lybiæ, Æthiopiæq; regibus conferat; ac singulis præliis debellet. Harum rerum magnitudine perculsos re-

sos reliquos reges in deditionem cogat. Quæ omnia, adiuuante præsertim consilia conatusque promouente Satana, paucorum mensium, ne dicam dierum, spatio posse contingere, exemplis superioribus demonstratũ est. Iam cur Hierosolymitani templi exædificatio sollicitũ te in hoc negotio habeat Physignathe, non video; nisi quod Oceani amplitudinem paludis tuæ aquulis metiri, & pectoris istius angustiis res maximas æstimare solitus es. An vereris in tam opulento imperio ne aut sumptus, aut operæ ædificiọ maturando desint? vt quod septem annorum spatio absoluit Salomon: iste tanto maioribus opibus, tanto celerius non possit absoluere? Sed fieri sanè id humanis viribus nullis possit; an ne Satanicis quidem? vt quando Dæmonum ope tam multa signa, ac prodigia daturus est Antichristus, quibus diuinitatem suam adstruat, vt in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi Matth. 24. illa quoque tanti operis maturata constructio inter eius miracula numeretur. Quanquàm mihi quidem versimillimum videtur id, quod & nonnullis placere video, neque alienum est à scripturis, vt suo loco docebo; non totum templum, sed aliquam eius partem, in qua interim colatur, ad culmẽ ab Antichristo perductum iri. Illud verò planè ridiculum quod metuis ne abolendæ Christi fidei, ac religioni spatium illud non sit satis. Non plus duobus annis post Constantij mortem imperium Iulianus tenuit; num ideò miserrimè Ecclesiam non vexauit? Elisabetha apud vos quam multo tempore indiguit; vt exterminata Christiana religione Caluinum atq; Zuuinglium in Angliam reuocaret? An existimas fore vt Antichristus ita Christi cultum aboleat: vt nemo supersit religiosus ac

pius? quicquid agat, quicquid moliatur Satanas, nunquàm aduersus Ecclesiam præualebit. Erunt etiam tum permulti, qui Deum ex Christianæ fidei institutis ritè venerentur. Sed nullus erit publicus orationis locus, nullum templum, nullæ Basilicæ, nulla sacrorum maiestas, nulli solemnes conuentus, attonitis tanti mali metu fidelibus. Tamne igitur hoc tibi incredibile videtur, vt ne affirmantibus quidem scripturis credas, tribus annis cum dimidio fieri posse? At circumspice mihi terrarum orbem vir bone. Aphrica nullos propè Christianos alit, Ægyptus ferè Saracenis continetur, item vt Palæstina, ac Syria. Turcæ Græcia tota, Thraciaque, ac multis aliis Europæ, atque Asiæ prouinciis diffusi sunt; quibus omnibus, quia nullam habent Christi religionem extorqueri necesse non erit. Reliqua est hæc quantulacunque Europæ pars, in qua Christiani Principes dominantur, quam ipsam postquam impius ille subegerit, cuius moliminis erit à Christi cultu, ac religione abalienare? Cum & vulgi ingenium ad ea omnia amplectenda pronum sit, quæ Reges probauerint; & ille partim terroribus cruciatibusque, partim prodigiorum magnitudine, partim etiam præmiis effecturus sit; vt homines etiam alioqui boni, nedum scelerati, & impij, quorum etiam inter Christianos pars maxima est, Christo deserto ad sua castra transfugiant. Sed te illud cap. 8. sect. prima sollicitum habet, quod fieri tibi non videtur posse; vt Christi causam eo tempore Romana Ecclesia, ac Iesuitæ in primis deserant. quibus repugnātibus non intelligis, qua ratione obtinere impius ille possit; vt deserta Christi religione, homines ad se colendum traducantur. lege caput Apocalyp. 17. & quan-

do pur-

do purpurata illa meretrice vrbem Romam denotari contendis, intelliges eam à decem illis Regibus, qui decem bestiæ cornibus designantur, ante deletum iri, quã reueletur homo peccati, filius perditionis. Quare cum decem ij Reges, in quos orbis terrarum vniuersus regnandus diuidetur, vrbem Romam tam capitali odio insequuturi sint; vt ne superesse quidem eius vestigia patiantur; vix vllas eius Ecclesiæ reliquias inueniet Antichristus, qui se eius conatibus magnopere possint opponere. Nimirum præcursores illi impietatis antichristianæ futuri sunt; vt eorum iam impetu non labefactatam modo, sed etiam afflictam Ecclesiam; tantum non funditus diruat. Quare mirari desine, quod rem tantam tam breui tempore effecturus sit Antichristus, cum decem illi Reges tyrannidi, atque impietati eius sint præcursuri. Alterum Abbati argumentum quod sect. etiam secunda capite 8. magnoperè vrget, ex eo ducitur, quod iidem ipsi Patres, qui hoc temporis spatio Regnum Antichristi definiunt, quod apud Ioannem Apocalypsis 11. dies regni eius futuri dicantur 1260. iidem apud Danielem de Antichristo quædam intelligunt, *quæ cum isto calculo*, inquit, *conuenire non possunt. vsquequo visio, & iuge sacrificium, & sanctuarium, & fortitudo conculcabitur, & dixit vsque ad vesperam, & mane dies bis mille trecentos. Hunc locum plerique nostrum ait Hieronymus, ad Antichristum referunt. Ita ne verò? atqui dies bis mille trecenti sex annos, & amplius efficiunt; vbi ergo illud, Antichristum non nisi tres annos & dimidium, dies mille ducentos, & sexaginta regnaturum?* quo loco primum Abbati fidem, si qua in hæretico esse potest, desidero. Nam si integrum Hieronymi locum adscripsisset, nihil no-

bis esset in hac respōsione negotij. Audi enim Hieronymum in caput Danielis octauum, vnde locus hic sumptus est. *Hunc locum*, inquit, *plerique nostrum ad Antichristum referunt, & quod sub Antiocho in typo factum est, sub illo in veritate dicunt esse complendum*. Quare Patres si Hieronymo credimus, cum locum ad litteram de Antiocho interpretantur: ad Antichristum figuram referunt. Vt quæ ille in Iudæorum sacra, ac religiones nefariè admisit: hæc patraturus in Ecclesiam Antichristus intelligatur. quis autem tam est hebes, vt non intelligat typum, ac significationem non necessariò debere exquisitè respondere ei rei, cuius significatio est? An tu ipse cap. 2. sect. 9. disertè non doces, non necesse esse in typo numerum præcedere, sed rationem, & modum rei figuratæ? nihil igitur fateri nos cogit, si sex annorum spatio in sacra Iudæorum Antiochus sæuiit; totidem annis Antichristi quoque rabiem in Ecclesiam sæuire necessario oportere. Sed vide quam leui declinatione hamentatam hanc tuam hastam effugiam Physignathe; vide quanti te faciam etiam tum, cum triumphare te credis, intelligatur iste locus Patribus etiā auctoribus, vt tu mentiris, de regno Antichristi ad litteram; num ideò quicquam effecturum te speras? Aio loco hoc Danielis totum Antichristi tempus comprehendi: ac priores quidem duos annos cum dimidio comparando terrarum imperio, subigendisque gentibus destinari; reliquos à parto iam imperio, ac tranquilla, pacataque possessione regni numerari. Ioannem porro in Apocalypsi posterioris tantum temporis habuisse rationem; quod Historicis quoque frequentissimum est: vt annos quibus quis imperauerit, ab eo die numerare incipiāt,

quo

quo regno pacato, tranquilloque primũ potitus est. Vbi nunc illæ Patrum tam secum pugnantes, neque cohærentes sententiæ? Visnè etiam alterum illud expediam quod tibi tam impeditum, atque implicatum videtur? vis explicem, qua ratione consentiat Apocalypticus dierum numerus cum eo, qui apud Danielem legitur cap. 12. nam hunc quoque locum iis verbis Patribus obiicis. *Antichristo quoq; attribuunt quod capite vltimo Danielis habetur, à tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem; dies mille ducenti, & nonaginta, qui id verò? Cum Antichristum credendum sit dies nõ nisi mille ducentos, & sexaginta substiturum?* quid enim si Ioannes in Apocalypsi eos tantum dies regni eius numeret, quibus prospera ei omnia, atque felicia cedere videantur, hoc est, ad mortem vsque duorum illorum Prophetarum, quos tu, ne qua in re cum antiquitate consentias, non modo Eliam, & Enochum futuros negas, sed etiam ad eos Episcopos, qui sub Romanis persequutoribus rexerunt Ecclesiam, inaudita interpretatione, referendos existimas. Vt suprema ea sit felicitas Antichristi, quod duos illos viros, quorum virtute, atque prodigiis conatus tuus retardari videbat, è medio tandem aliquando substulerit. Reliqui triginta dies, quos Daniel ad eum numerum adiicit, vsque ad eam diem numerentur, qua cum Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, qui omnes, si tres priores excipias, infausti regno eius futuri sunt, vt manifestè colligitur ex cap. illo Apocalyp. 11. Quod si vel oculos habuisses vt legeres; vel humanam animam inclusam isto corpore vt lecta perciperes; ea de re dubitare nihil potuisses. Nam Apocalypsis vndecimo mille ducenti, ac sexa-

ac sexaginta illi dies duorum Prophetarum vaticinio adscribuntur; quibus exquisitè duo, & quadraginta ij menses respondent, quibus cap. 13. data est potestas bestiæ facere, vt intelligas potestatem bestiæ, quamuis regnum eius paulò vlterius protrahatur eodem, quo Prophetarum illorum vitam die concludi, neq; quicquàm post illum diem, subtracta diuinitus potestate, illi postea successurum. quod quanquam non continuo sentiet, dum duorum illorum corpora cæsa iacebunt in plateis ciuitatis, ac tunc sibi maximè triumphare videbitur: & tamen non ita multò post malo suo doctus discet; vbi quod capite illo vndecimo futurum Ioannes narrat, reuocatos eos ad vitam in cœlum ascendentes conspexerit atque horrendis terræ tremoribus, ædificiorum strage, tam multorum nece, consternatione ciuitatis redire in animos hominum religionem Numinis, existimationem suam imminui, ac res in deterius labi animaduerterit. florens igitur Antichristi regnum non nisi duobus, & quadraginta mensibus comprehenditur; ad quos si triginta illos dies adieceris, quibus regni eius catastrophe continetur; eam summam efficies, quam Daniel exprimit. Quæ tu Bellarmini litteris breuiter explicata, pro tuo singulari ingenio, non satis intelligere potuisti.

6. *Abbati impostura ac mendacia ad minuēdā auctoritatem patrum.*

Illud te angit quod vereris cap. 8. sectione 2. ne si ab obitu testium illorum certum tempus assignetur ad interitum Antichristi; certo sciri possit dies iudicij. sed importunum istum timorem depone; neque enim necesse est, eundem esse interitus Antichristi, ac iudicij diem. Quare & si Dominum prope esse in ianuis, impio illo spiritu oris eius sublato, intelligi facile poterit: quantū

tamen

tamen temporis supersit sciri nulla ratione potest; nam post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur, & plangent se super illum omnes tribus terræ; ex quibus, vt arbore fici appetentem iam æstatem, ita vicinum aduentum suum colligere nos Dominus Matth. 24. iubet. Illud etiam vt Patrum existimationem imminuas sect. 6. disputas Patribus nihil de Antichristo certum, nihil exploratum fuisse, *idquè palam ostendere varias repugnantesque sententias, quas siue falsas confingunt, siuè veras coniectant*; id quod exemplis etiam confirmare conaris. Atque equidem si nulla de re Patres consentiunt; tibi non grauatè assentior Abbate. sin autem ita nonnullis de rebus dissentiunt; vt in aliis nulla ratione discrepent: non video quænam ista tua sit palustris conclusio. Nos quidem homines muscosam istam dialecticam nondum didicimus. Sunt nonnulla, de quibus quia nihil constat inter Patres, explorata iis non fuerunt; nihil igitur certum, aut exploratum habuerunt. quo pacto si ratiocinari licet, illud quoquè te auctore conficiemus; nihil apud vos certum, aut constitutum esse. quis enim ignorat quàm multis in rebus Caluinus à Lutheri sententia discrepet? vt ex eo eadem ratione colligi liceat, nihil illis certum, aut exploratum esse, ne eorum quidem, quæ summa consensione affirmant. Denique quis non videat argumentationem hanc, cum à singulis ad vniuersa progrediatur, nihilo meliorē esse, quàm si quis ex eo colligat, quod homo cū tamē sit animal hinnire nō possit; nullum animal esse, quod hinniat? At quam multa sunt, quæ vix vlli vnquam Patrum dubia visa sunt?

F Anti-

Antichristum certum quendam hominem, ac singularem futurum, ortum Iudæorum sanguine, apud eos in primis regnaturum, ita sessurum in templo siuè Hierosolymitanum illud sit, siuè quodcunq; aliud: vt diuinos sibi honores exigat, nullum alium præterea Deum coli patiatur. Regnum eius, quanquam nullis ferè locorum spatiis, exiguo tamen tempore circumscriptum iri; signa ac prodigia non sicut vos somniatis allegoricè; sed verè proprieque daturum atque his sexcenta similia. *At de Antichristi sede quàm variè loquuti sunt?* inquis, *in templo Hierosolymitano sessurum ait Cyrillus, non in Ecclesia; Oecumenius verò in Ecclesia, non in templo Hierosolymitano; Chrysostomus non solum in templo Hierosolymitano; sed etiam in Ecclesiis; & tamen alibi dubitabilem esse ait interpretationem illam de Templo Hierosolymitano quemadmodum etiam Augustino incertum est, vtrum in Templo illo, an in Ecclesia dicendum sit.* Quem locum nisi fraude, ac mendaciolo aliquo condires: verebare ne minus saperet palato sodalium tuorum. Fratus est, quod cum ex Patribus vnus, aut alter dubitet, in Templo ne Salomonis, an in nostris Christianorum Ecclesiis sessurus sit Antichristus; nonnullus sessurum in Ecclesia dicat, Salomonis Templum non excludat; Iræneus & Hippolytus martyres, Hilarius, Ambrosius, Sedulius, Damascenus, Martinus apud Sulpitium, Cyrillus in templo Hierosolymitano sessurum affirment, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus tum in Iudæorum, tum in nostro Templo sedem Antichristi futuram dicant; vnus fuerit Oecumenius omnium recentissimus, qui de Hierosolymitano Templo negauerit: tu eum locum ita tractas, vt vnum Cyrillum opponas Oecumenio: vt

videli-

videlicet ea res valde cōtrouersa inter Patres videatur. Et tamen Bellarminū legeras, à quo vt ea mutuatus es, quæ ad rem tuam facere existimabas: ita etiam discere potuisti; quanti, & quam multi viri sententiæ illi disertè subscriberēt; eos verò, qui sessurum in Ecclesia affirmāt ad Chrysostomi, ac Theodoreti sententiam referendos esse: cum alterum illud non negent. Oecumenij neque auctoritatem tantam esse, vt tantorum virorum consensioni officiat: & locum mendosum videri. tū quod à Chrysostomi, Theodoreti, ac Theophylacti vestigiis nunquam deflectere solitus est, tum quia vnius particulæ, tantum, seu detractione, seu negligentia corrumpi facile potuit. Ac ne illud quidem fraude caret, quod cum Patres, qui in Ecclesia sessurum dicunt, de Christianorum templis, non de mystico fidelium cœtu loquantur, (quæ Ecclesia propriè dicitur, cuiusque vos caput tam multis sæculis fuisse Antichristum in Christi contumeliam blasphematis) tu ità absolutè vsurpas Ecclesiæ nomen, vt eos à vobis stare rudioribus persuadeas. Id quod ignorare non poteras; nam & si Patres ipsos à quibus vehementer abhorres, fortasse non legeras: legeras tamen Bellarminum, qui hoc ipsum ex Patrum sententia disertè docet. legeras authorem imperfecti in Matthæum, quem vnum, quia eius scripta tam multis hæresibus respersa sunt, ex tota antiquitate in deliciis habes, qui in ista ipsa, quam citas homilia 49. tam apertè ea de re loquitur, vt nullum relinquat ambiguitati locum. Disertè enim affirmat sessurum Antichristū in sanctis Ecclesiæ locis; quibus verbis nisi tu fortè, vt es ingeniosissimus prodigiorum artifex, fidelium vel cœtum, vel animas locum aliquem esse existimas; quid

præter Christianorum templa significari possit, non video. Id quod apertius etiam scribens in Arianos, & Auxentium, docet B. Hilarius, dum deterret Catholicos ab Auxentij communione, monetque ne ideò existimarent, Episcopum, quia Episcopalem in Templo cathedram occupasset. *Vnum moneo*, inquit, *cauete Antichristum. male enim vos parietum amor capit, male Ecclesiam Dei in tectis, ædificiisque veneramini, malè sub his pacis nomen ingeritis. An ne ambiguum est, in his Antichristum esse sessurum?* Quid clarius? quid, quod causam vestram luculentius iugularet, vel à Bellarmino ea de re scribi potuit? Quæ tu tamen Abbate dissimulas, ac tuam hæresim nobis Patrum nomine quasi aliud agens obtrudis. Et disputas tu quidem ea de re cap. 3. sed hic interim tacitè venenum tuum propinas. ibi rem eam ita tractas; ac si inuentum illud Bellarmini, non Patrum minimè dubia sententia sit. Angit te scilicet, quod vereris, ne in vsus prophanos conuersa templa, Ecclesiæ amplius dici non possint. Non sanè magis, quam vel atrium domus Domini, vel templum dici possit id, in quo Ezechielis 8. sedebant mulieres plangentes Adonidem, ac viginti illi viri adorantes ad Orientem: vel secundi Machabæorum 6. templum & altare dicitur id, quod Deo erectum, Ioui Antiochus dedicarat, sacrilegisque cæremoniis contaminarat. Vel Matth. 24. locus sanctus ille dicitur, in quo stabit abominatio. vel in hodiernum vsque diem Græci Ecclesiam sanctæ Sophiæ vocant eam, quæ diuinæ olim sapientiæ dedicata; nunc Mahumetanis ritibus inquinatur. An tu tam es sine mẽte, vt non intelligas, non solum dum manet idem ædificium, quod quia Deo ritè dicatum est, Dei domus est, quam-

eſt, quamuis per vim ab impiis occupetur; haud paulò meliore iure templum Dei dici poſſe; quàm Rex veſter Franciæ ſibi Regnum abſcribat; quod quamuis eo alij potiantur, deberi ſibi exiſtimat. Sed etiam ſi hæc vera non eſſent: ex ipſis tamen Apoſtoli verbis ſatis colligi poſſe; non ideò vocari templum, vel Eccleſiam quia tunc diuino cultui deſeruiat; ſed quia templum id, quod erat vero Deo dicatum, ad prophanos ipſe vſus conuertet. Si enim ſacrilegus ille ſedebit in templo Dei, oſtendens ſe ipſum quaſi ſit Deus; profectò à diuina religione transferet ad ſacra prophana. Sed vt Gn. Pompeij ſedes eas vocat M. Tullius, quas ſuas iam fecerat, atque habitabat Antonius; ita templum, atque Eccleſia Dei dici poſſet ea; quam olim Deo ſacram nephādis ſacrificiis Antichriſtus polluiſſet. Ceterum, quando huc diſputatio ipſa nos detulit, ne eodem ſæpius redire cogamur, Abbati interpretationem cum ipſis Apoſtoli verbis conferamus. cap. 3. ſect. 2. contendit Apoſtolum, cum ſcribit fore, vt Antichriſtus ſedeat in templo Dei oſtendens ſe, quaſi ſit Deus; nihil aliud ſibi velle, quam fore, vt Antichriſtus inter fideles dominationem exerceat; id quod ex eo probat, quod Apoſtolus primæ Corinth. 3. num. 16. vocat eos omnes, qui inuocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, templum Dei ſanctum, & templum Dei viuentis, & ſecundæ Petri 2. Eccleſia ex viuis lapidibus conſtructa, templum Dei nominatur. quibus locis ita triumphat vt Apoſtolum ſententiæ ſuæ interpretem habere ſe glorietur; ac veluti confecta iam re, *Qui ergo* inquit, *templum Dei non aliud, quam Eccleſiam interpretatur, cum Antichriſtum ait in templo Dei ſeſſurum, quid aliud intelligi vult, quam Eccle-*

F 3 *ſia ca-*

sia cathedram arrepturum, & imperandi omnia potestatem sacrilega superbia vsurpaturum. Iam verò aduersus luculentã Apostoli expositionem de Ecclesia, & templo spirituali, quid opponunt alios quoscunque nullo scripturæ testimonio sententiam Apostoli ad templum Hierosolymitanum referentes? Adeóne pueriliter ludis in scripturis, atq; eorum quibuscum agis simplicitate abuteris homo impie? quando vnquã dixit Apostolus, Antichristum in spirituali Dei templo sessurum? affirmauit nescio quo loco, templum esse Dei omnes illos, qui inuocant nomen Domini: igitur quoties templi nomen vsurpat, de fidelium mentibus loquitur? Etiam ne, cum primæ Corinth. 3. num. 16. ipsa fidelium singulorum corpora templa sancti Spiritus esse docet? ob eamque rem iis à fornicatione, atque immunditiis abstinendum, vt honos templo Dei habeatur. Etiam ne cum actorum 24. iussus apud Felicem causam dicere, numero 12. & 18. negauit, se in templo à Iudæis seditiones concitantem, aut quicquam noui molientem: Sed in votis, & oblationibus purificatum in templo deprehensum esse confirmauit? etiã ne cum cap. 25. apud Festum defendit, quoniam neque in legem Iudæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quicquam peccauit? Etiamne cum 26. apud Agrippã questus est, se cum pœnitentiam annunciaret, hac ex causa à Iudæis, cum esset in templo, comprehensum fuisse? An verò hæc Lucas vt vobis incommodaret malignè mentitus est? Et quando Pauli testimonio non contẽtus, vt ex aliis quoque scripturis aliquid pro te afferre viderere; locum tibi ex primæ Petri secundo confingendum existimasti; vbi is templi vocem ad spiritualem Dei domum transtulisset, cum neq; eam Latinus interpres adhi-

adhibuerit; neque græca lectio ναὸν, quæ vox propriè Latinum templi vocabulum exprimit, eo loco habeat. quæro ex te cũ in sacris noui testamenti litteris plus cẽties templi vocem vsurpauerit Spiritus sanctus; negare ne audeas, quamuis nihil non audeas, ferè semper propriam eius nominis significationem retinuisse? Quam igitur ob rem; quia aliquando translato eo vocabulo vsus est, locum hunc reuocandum ad tropum existimas potius; quam suam nominis significationem permittendam: cum ab ea plerunque scripturæ consuetudo non recedat: neq; verò quicquàm sit in his verbis Apostoli, quod indicare possit, eam vocem à re propria ad rem alienam significandam traductam fuisse. Vides quam præter imposturas, & ineptias nihil sapias? Et tamen ita tibi places: vt etiam Bellarminum reprehendas, quod scripserit, in scriptura noui testamenti per templum Dei nunquam intelligi Ecclesiam Christianorum, sed perpetuò templum Hierosolymitanum, quare certum videri, Apostolum de illo esse loquutum. *Vide*, inquis, *præter illa loca, quæ supra citauimus; num hæc quoque de templo Hierosolymitano intelligenda sint. Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei; seruiunt ei die, ac nocte in templo eius. Tunc apertum est templum Dei in cælo.* Quibus verbis grauiter peccas. primum quod eo loco Bellarminus non mysticum vestrum templum, quod multò longius abest à vera horum verborum interpretatione; sed eorum sententiam refellit, qui eo loco templi nomine manufactas Christianorum Ecclesias intelligunt: quod neque in Apostolicis, neque in antiquioribus Patrum litteris templi nomine vsquàm Ecclesias notatas inueniamus. Vide igitur tu Physignathe

vtrum

vtrum ſtrependo, coaxandoque poſſis efficere, vt & apud Paulum, & in Apocalypſeos locis à te notatis, templi nomine manufacta Eccleſia deſignetur; & eris mihi vel Amphione maior, vel Orpheo. qui abſurdo iſto, atque abſono quoaxatu lapides, ac cæmenta vel in cœlũ euehas, vel in animos hominum congeras, vt ibi Eccleſiam excites. Deinde etiam ſi commentum veſtrum conuellere eo loco vellet Bellarminus: tamen culpa omni non careres. Neque enim docet, nunquam templi Dei vocabulum in noui teſtamenti litteris ad aliud quicquã denotandum traduci: Sed cum nihil aliud additur, quod vocis ſignificationem immutet, conſtanter in ſacris litteris accipi pro templo Hieroſolymitano. Ex quo efficitur, cum is Apoſtoli locus nihil habeat, quo tropus in iis verbis hærere ſignificetur, propriè eum intelligi oportere. tu contra doces, interdum eam vocem aliis quoque rebus accommodari, quod dum ex adiunctis, atque ipſo ſingulorum locorum textu colligis: apertiſſimè inſanis; aduerſus Bellarminum nihil affers. Sed eo redeamus, vnde nos ardo diſputationis abſtraxit. Habebas igitur auctorem iſtum imperfecti in Matthæum, à quo diſceres, quid veteres ſibi velint cum dicunt Antichriſtum in Eccleſia ſeſſurum; ſi vera magis, quam ambigua ſectari voluiſſes: Sed vobis non curæ eſt vt verè dicatis, ſed vt à miſeris hominibus dicere vera credamini. Iam illud mendacium eſt quod vt Chryſoſtomum facias à ſeipſo diſſentientem, opus illud imperfectum in Matthæum ita illi tribuis, quaſi de eius operis ſcriptore nulla controuerſia ſit. *Chryſoſtomus*, inquis, *non ſolum in templo Hieroſolymitano* (*ait ſeſſurum Antichriſtum*) *ſed etiam in Eccleſiis*; *& tamen alibi dubitabilem*

lem esse ait interpretationem illam de templo Hierosolymitano, atque adnotas ad marginem homiliam 49. imperfecti in Matthæum. Atqui sciebas, quam inter viros doctos non conueniat de operis eius auctore, quantoque verisimilius sit, eum librum ab aliquo alio fuisse conscriptum. non solum quia multa continet è Manichæi, Montani, ac Pelagij disciplina petita, quæ addi forte Hæreticorum fraude potuerunt: sed etiam propter diuersum planè dicendi Characterem, vulgatæ bibliorum Latinæ editionis vsum, citatos auctores apocryphos, atque alienam planè à Chrysostomi consuetudine interpretandi, disputandique rationem; quæ à viris doctis adnotata apud Sixtum Senensem legeras; nisi forte hũc quoque alieno testimonio protulisti; quam igitur ob rem librum adeò incertæ fidei, vt pugnantem secum Chrysostomum facias, tam certò illi, ac sine dubitatione affingis? At enim, inquies, eodem capite post duas circiter paginas, cum de imperfecto illo opere agerem, ita scripsi. *Quod vidit Chrysostomus, siuè ille quicunque auctor erat operis imperfecti, quem Chrysostomi nomine interdum adduco, Ecclesia Romana, & maximorum apud illam auctorum exemplum sequutus.* Sunt ista; sed tum, cum ea præfatione maximè opus erat, quia totam eam disputationem tibi infregisset, penitus omisisti; ac perinde Chrysostomum citasti; ac si ex eius opere aliquo minime dubio eam sententiam protulisses; multoque deinde post quasi aliud agens ea verba subiecisti. vt interim parum constantis sibi Chrysostomi opinio in animos hominum altè descenderet. Deinde ne in his quidem ipsis verbis omni planè mendacio carere potuisti. Quãquam enim, quia eius nomine circumferebatur liber

ille; neque dum in suspicionem falsi nominis vocatus à viris harum rerum intelligentibus fuerat: neque multum intererat cui adscriberetur, si quādo ad ædificationem fidelium se lectum ex eo aliquid in Ecclesia legeretur, ea de re non magnopere laborauit: nunquam tamē, præsertim postquam dubitari cœptum est de eius operis auctore, eos commentarios Chrysostomi nomine vel ad confirmanda dogmata, vel ad controuersias fidei dirimendas Romana Ecclesia vsurpauit. Imò si Sixto Senensi credimus in eo ipso, quē tu ad marginem annotasti, 4. bibliothecæ libro, quasi alienum à tanto Patre Pauli quarti Pontificis Maximi sententia damnasse videtur, dum eum inter libros suspectæ fidei numerauit. Vt si qui eum velint defendere laborandum iis sit; vt in meliorem partem eius Pontificis decretum interpretentur. Nam maximi isti authores, qui eum librum Chrysostomo tribuunt; qui tandē sunt? Sixtum Senensem inquies adscripsi; scilicet vt in eo quoque mentirere; nam is de scriptis Chrysostomi disputans ita locum hunc tractat; vt rem relinquat in medio. Hæc igitur, inquit, est super his commentariis controuersia; de qua iudicent me doctiores: ego quid addā nihil habeo, &c. nam quos ille citat glossarum, & catenarum auctores, magnos quidem illos viros, sed in dignoscendis genuinis scriptorum litteris minus exercitatos; non est quod in hac re nobis obiicias: Quos vt non parui facimus in scripturarum expositionibus: ita in hoc eruditionis genere non maximi æstimamus. fefellerit illos sanè sæculi sui error inscriptionibus nominum magis, quam ipso scriptionis genere libros æstimare soliti; cur tu eorum errorem, tum cum plurimum intererat, huius nè, an il-
lius

lius ſcriptoris liber ille cenſeretur: quam oblátam à poſterioribus lucẽ ſequi maluiſti? Nimirum qui malè agit odit lucem; ac latendum tibi fuit, vt imponeres. Qua in re non fidem magis, quam pudorem tuum deſidero; quo enim ore, quamuis impudentiſſimus ſis, cum tam luculenter præfatus eſſes, eos commentarios incerti ſcriptoris eſſe; poſt allata neſcio quæ eius fragmenta, quæ ad conuellendam Patrum auctoritatem facere tibi videbantur, illa ſubiicere auſus es? *Planè diuina ſententia, & animaduerſione omni digniſſima; quam integram ſubiicere volui ad diſputationem hanc noſtram præmuniendam áduerſus calumnias Papiſtarum. vt intelligant nos optima ratione, & Patribus ipſis probatiſſima docere, controuerſiam omnem de Antichriſto, non de hominum quorumcunq; coniecturis: Sed de ſcripturis diuinis definiendam eſſe.* Quis enim ille pater eſt, cuius verbis præmunire diſputationem tuam voluiſti? aut qui tandem tibi conſtat Paternè an etiam omnino Catholicus ille fuerit, qui illa ſcripſit? Auctoris nomen vel caſu intercidit, vel conſulto adſcriptum non eſt, liber ipſe ſcatet hæreſibus. Quod ſi auctoris vitio accidit; dignus profectò fide non eſt; ſi nefariorum hominum impoſtura deprauatus fuit: qua ratione probabis hunc ipſum, quem attuliſti locum, corruptum non eſſe? Sed tu, qui vnius neſcio cuius ignoti hominis teſtimonio præmunire diſputationem tuam voluiſti, cum etiã diceres vti te probatiſſima Patribus ratione, quam turpiter vt nobis incommodes, ſectione tertia Patres omnes calumniaris? *Præpoſtera* inquis, *vetuſtatis admiratio libertatem iudicandi ſubſtulit, vt inuidia calumnia non vacaret, qui egregiorum virorum ſententias etiam vaniſſimas & falſiſſimas improbaret. Hac*

ratione Pelagiana labes vires, & incrementa maxima cæpit. Plures sunt in Ecclesia, inquit Hilarius, qui auctoritate nominum in sententia tenentur, aut ad sententiam transferuntur; quare Pelagium haud facilè repudiarunt, quod retractatis priorum de hac re opinionibus, ait Prosper, penè omnium par, & vna pro dogmate illius sententia inuenitur. Quibus verbis incredibile dictu est quàm multa peccaueris; nam primum quidem ea de qua in iis ad Augustinum Epistolis, quas tu etiam ad marginem adscripsisti, disputant Hilarius, ac Beatus Prosper, non est hæresis Pelagiana, vt disertè testatur Augustinus priore suæ responsionis libro, qui est de prædestinatione sanctorum cap primo, vbi de iis loquens, quorum errorem corrigi Prosper, & Hilarius cupiebant. *Retenta*, inquit, *ista in qua peruenerunt, plurimum eos à Pelagianorum errore discernunt*; sed apud te pro singulari tua eruditione nihil interest inter Pelagianos, Semipelagianos, & Pelagianorum reliquias. Deinde hos ipsos Prosperi & Hilarij locos parum fideliter citas. Neque enim docet Hilarius iis verbis, quia Patres malè senserint, ideò à pluribus Hæreticorũ sententiam non repudiari. Sed cum dixisset, eos, contra quos scribebat, pro se Augustini etiam testimonia protulisse: Hoc etiam, inquit, de aliorum libris, quorum est in Ecclesia authoritas, faciunt quod prospicit sanctitas tua, non parum per se iuuare contradictores, nisi maiora, aut certè vel paria proferantur à nobis. non enim ignorat prudentissima charitas tua, quanto plures sint in Ecclesia, qui authoritate nominum in sententia teneantur, aut ad sententiam transferantur. Prosper verò, quia non animaduerterat ab Ecclesiasticis tractatoribus præscientiæ nomen sæpe pro ipsa prædestinatione

vsur-

vſurpari ſolitum : Exiſtimauit quidem ille Patres non planè cum Auguſtino ſentire; ſed Patres damnare non auſus, eius quæſtionis ſolutionem ab Auguſtino quærit. *Illud etiam*, inquit, *qualiter diluatur quæſumus ſapientiam tuam patienter inſipientiam noſtram ferendo, demonſtret; quod retractatis priorũ de hac re opinionibus, penè omnium par inuenitur, & vna ſententia; qua propoſitum, & prædeſtinationem Dei ſecundum præſcientiam receperunt, vt ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios vaſa contumeliæ fecerit, quia finem vniuſcuiuſq; præuiderit, & ſub ipſo gratiæ adiutorio, in qua futurus eſſet voluntate præſciuerit.* Non igitur affirmat Proſper eam ob rem Pelagium haud facile repudiari, quod retractatis priorum de hac re opinionibus penè omnium par, & vna pro dogmate illius ſententiæ inueniretur. Sed quam ipſe difficultatem expedire non potuit; eius ſolutionem ab Auguſtino quæſiuit; cui quæſtioni ſatisfecit Beatus Auguſtinus poſteriore eius reſponſionis volumine, quod eſt de dono perſeuerantiæ cap. 18. & 19. Ac primum quidem oſtendit, prædeſtinationem ipſam nonnunquam præſcientiæ vocabulo ſignificari. deinde cap. 19. *Quid ergo*, inquit, *nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præſcientiam; & agitur de vocatione electorum, eandem prædeſtinationem intelligere? Magis autem fortaſſe voluerunt hoc verbo in ea re vti: quod & facilius intelligitur, & non repugnat, imò & congruit veritati, quæ de prædeſtinatione gratiæ prædicatur.* Subdit deinde teſtimonia Cypriani, Ambr., Gregorij, Nazianzeni, quos ſecũ ſentire docet. Ità quæ ex his patribus contra Patres Abbate protuliſti; non eorum teſtimonia, ſed tua mendacia ſunt. Quibus non cõtentus in eandem ſuſpitionem Beatum Auguſti nũ per

calumniam vocas; *Quare Augustinus*, inquis, *cum hæreticis confligens, & causas ad viuum resecans, vbi antiquorum Patrum præiudicio grauatur, disertissimas aduersus illorum testimonia exceptiones nonnunquam interponit, vt scripturis solis quæstionem decidat. Vbi Cyprianum Donatistæ afferunt, nos nullam, inquit, Cypriano facimus iniuriam, cum eius quaslibet litteras, à Canonica diuinarum scripturarum authoritate distinguimus.* At vide, quam in hoc quoque negotio ineptus Calumniator sis. Quod istud genus argumentationis est? Vnius Cypriani authoritate decidere Donatistarum causam Augustinus non vult, atque in ea re errasse Cyprianum confitetur: igitur consentiens Patrum auctoritas apud Augustinum non tanti est: vt si ea grauari se senserit eam quicquã moretur. Deinde quod genus istud exceptionis est? an negat istis verbis Augustinus velle se Cypriano credere? Cum tantum dicat, nullam Cypriano iniuriam fieri, si eius litteræ à Canonica diuinarum scripturarum authoritate distinguantur. At possunt eius litteræ à Canonicarum autoritate distingui, & fides tamen iis haberi. attulisses saltem ex capite illo trigesimo primo secundi contra Cresconium libri, vnde verba ista desumpta sunt, aliquid quod tibi & causæ tuæ faueret apertius. Sed ego non dissimulo. negat quidem eo loco Augustinus Cypriani testimonio stare se velle: Sed nunquàm hanc causam affert, cur à Cypriano discedat, quod is à Canonicis scripturis dissentiat, quamquam non semel repetit se Cypriani testimonio non vsque adeò vrgeri, vt quia ipse dixerit credere quispiam necessario debeat. quam tamen necessitatem sacrarum litterarum imposuisset auctoritas. Id quod expressè docet cap. 32. *Si ea quæ commemorasti*, inquit,

quit, *ab illo ad Iubaianum scripta, de aliquo Apostolorum, vel Prophetarum Canonico recitares: quomodo omnino contradicerem non haberem.* Causam verò, cur non accipiat testimonium Cypriani; mox subdit his verbis. *Non accipio,* inquam, *quod de baptizandis hæreticis & schismaticis Beatus Cyprianus sentit; quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua Beatus Cyprianus sanguinem fudit.* Vides ad quam trutinam expendat B. Augustinus Cypriani sententiam, atque earum scripturarum interpretationem, quas pro se Cyprianus afferebat? Non igitur à Cypriano ad scripturas ita prouocat Augustinus: vt de earum interpretatione suo, quàm Cypriani iudicio stari malit, sed ita, vt & suum, & Cypriani iudicium iudicio Ecclesiæ subdat. Pergis deinde. *Vbi Ambrosium Pelagiani opponunt (excipit Augustinus) quamlibet sanctus, & doctus vir: nequaquam tamen auctoritati Canonicæ scripturæ comparandus.* Hic quoquè vir ingeniose à singulis ad vniuersos Patres argumentaris. Sed vt hoc acumini & dialecticæ tuæ condonemus; illud nequitiæ condonare non possumus; quod vt eo loco reiici Ambrosij auctoritatem ab Augustino doceas, hæc eius verba profers, cum nihil minus, quam id iis verbis agat Augustinus. Nam libro primo contra Pelagium, & Cælestium cap. 44. quẽ tu locum ad marginem adnotasti. *Ecce qualibus,* inquit, *& quantis prædicat laudibus* (Pelagius Ambrosium) *quamlibet sanctum, & doctum virum; nequaquam tamen auctoritati scripturæ canonicæ comparandum. quem propterea sic iste commendat, quia videtur sibi in quodam loco librorum eius eo teste vti, quo probet hominem posse esse sine peccato, vnde nũc non agitur; sed agitur de auxilio gratiæ, quo ad non peccandũ adiuuamur, iusteq́ viuendum,* quibus verbis postquam

caput

caput illud conclusit his sequens aggreditur. *Audiat ergo illum venerabilem Antistitem dicentem, & docentem in 2. libro expositionis Euangelij secundum Lucam, cooperari Dominum etiam voluntatibus nostris.* Non igitur hæc ita dicit Augustinus, quasi vrgeatur Ambrosij testimonio quod defendendæ fidei causa reiicere cogatur: Sed fortasse quia Pelagius dixerat; in eius præcipuè libris Romanam fidem elucere, id quod ita dici patitur Augustinus: vt tamen intelligamus; nulla ratione esse eius litteras cum auctoritate scripturæ canonicæ comparandas. neque dubium esse debere; quia si alteræ ab alteris discreparent; eæ præferendæ essent; quas quia eas veritas exarauit, omni erroris suspicione liberas esse necesse est. At ne forte excipiat Abbatus id ab Augustino dictum, quod eius eam sententiam non probaret quam protulerat Pelagius, quanquam ea ad præsentem disputationem minimè faciebat; ostendit idem Augustinus cap. 57. & sequentibus, ne ea quidem in re Ambrosium cum Pelagio sentire. Sensisti tu ipse Abbate quam infirma essent, quæ protulisti; quod ea de singulis dicta, non possent Patrum consentiens iudicium labefactare. Itaque vt aliquid dicere videare; hunc locum ita concludis. *Et de omnibus (Patribus) ego inquit Augustinus in huiusmodi quorumlibet scriptis hominum liber sum; quia solum Canonicis debeo sine vlla recusatione consensum*; atque adnotas ad marginem cap. 61. lib. de Natura, & gratia, quo loco mentiris quod hæc ita dicta ab Augustino dicis quasi Patrum testimoniis à Pelagianis grauaretur, vt ex eo colligas Ecclesiæ plurimum incommodasse præiudicatas Patrum auctoritate sententias, hoc enim probare niteris eo loco; quod quam falsum sit ipsum capitis

eius

eius exordium demonſtrat. Ea teſtimonia, inquit, quæ non quidem de ſcripturis Canonicis, ſed de quibuſdam Catholicorũ tractatorũ opuſculis, poſuit volens occurrere iis, qui eum ſolum dicerent iſta defendere; ita ſunt media, vt neque contra noſtram ſententiam ſint, neque contra ipſius; qua ratione igitur iis teſtimoniis vrgebatur, vt aliter reſpondere non poſſet, niſi Patrum auctoritate contempta ad ſcripturarum tribunal confugeret? Certè teſtimonia Hilarij, Ambroſij, Ioannis Conſtantinopolitani, Xiſti martyris & Epiſcopi Romani, ac B. Hieronymi, quæ pro ſe Pelagius attulerat, capitibus inſequentibus Auguſtinus oſtendit nihil officere Catholicæ fidei. Neque verò in his ipſis, quæ tu attuliſti verbis, à Patribus prouocat ad ſcripturas. Sed id quod iam ante diximus, cum nonnulla alia in eandem ſententiam ab eo de Cypriano, atq; Ambroſio dicta ſupra expēderemus, negat cuiuſquàm hominis tantam eſſe auctoritatem, quantam diuinis litteris tribuit Spiritus ſanctus; vt illis debeamus ſine recuſatione conſenſum. Quod ipſum de Lactantij quibuſdam teſtimoniis eo loco reſpondet, quæ Pelagius ita protulerat vt non adſcriberet nomen auctoris; quo fiebat, vt fontes ipſi conſuli, ac germanus ſcriptoris ſenſus colligi certo non poſſet. *Prima*, inquit, *quæ poſuit, quia nomen eius, qui ea dixit non eo loco legi, ſiuè quia ipſe non ſcripſit, ſiuè quod codex quē miſiſtis, id aliqua forte mendoſitate non habuit; pertractare quid opus eſt? maximè quoniam me in huiuſmodi quorumlibet hominum ſcriptis liberum, quia ſolis Canonicis debeo ſine vlla recuſatione conſenſum, nonnihil mouet, quod de illis ſcriptis, cuius nomen non ille poſuit, &c.* ac verbis Lactantij allatis, *Quomodo*, inquit, *dictum ſit auctor huius ſententiæ vi-*

derit, quomodo poßit exponere. Significat igitur iis verbis Augustinus nolle se nimis superstitiosè in eius verbis interpretandis hærere, cuius nesciret neque quanta esset in Ecclesia auctoritas, neque quo verba ipsa spectarent. Cum quia nomen ignorabat, librum ipsum consulere non liceret; neque verò operæpretium facturum se existimaret, si tam diligenter inquireret, quia non diuinum illud oraculum; sed vnius hominis testimonium erat. quæ tu, vt es ad imponendum egregiè instructus, ad omnes Patres per calumniam transtulisti. Sed in hoc genere illud palmare mendacium est, quod habes sectione 8. vbi vt probes, iam inde ab Apostolicis temporibus quædam in Ecclesia disseminata fuisse, quæ nō ab Apostolis, sed à mysterio iniquitatis profecta sint, ita scribis. *Id quod vno exemplo moneri possumus, quo Satan viuentibus adhuc Apostolis perniciosam cœlibatus opinionem, horribilem postea Ecclesiæ pestem, & prodigiosæ turpitudinis occasionem, insinuare conatus est*; Agnosco lutulentum, & spurcum animal, cui nihil, nisi cœnum ac sordes oleant. miror quod Euangelium Matthæi, quod symbolum Apostolicum accipis; quod nullos ex Beata Maria, Iosephi liberos, nullas carnales Christi nuptias nobis coaxas; vt integritati incommodes; quam tam capitali odio insequeris. Quid enim ad cœlibatus tam horibilis illius, ac perniciosæ pestis Ecclesiæ, commendationem excogitari potest illustrius; quam quod nascens Dei filius virginitatem in materno primum, deinde etiam in suo corpore dedicauit? Sed vos vt porcos seruetis; è vestris finibus Christum eiicitis. Ad reliqua veniamus. *Nam Presbyter quidam*, inquis, *in Asia librum quendam tunc edidit, quem inscripsit: Periodos Pauli & Teclæ, in quo finxit*

finxit Paulum Iconij prædicantem de Virginitate, Teclam nobilem puellam in concione præsentem tantum permouisse: vt nuptias, quibus desponsata esset, recusaret, & ob id ad Iudicem raptam, & ab illo damnatam, nec ignibus cremari, nec à bestiis occidi potuisse; & postea comitem prædicationis extitisse. Ac Presbyter iste conuictus apud Ioannem Apostolum, quod auctor esset libri, & confessus se hoc amore Pauli fecisse: loco deiectus est, & liber eius damnatus, atq; inter fabulosa, & apocrypha computatus est. Huius tu tuæ fabulæ auctores adnotasti Hieroymum in Luca, & Tertullianum in libro de Baptismo. At eorum neuter initi seruandæ virginitatis à Tecla consilij, neuter concionis de virginitate à Paulo habitæ, neuter damnatæ propter constantiam in arrepto consilio virginis, neuter ignium, & bestiarum mentionem facit. Neque Presbyter ille ideò à Ioanne conuictus, ac loco motus est, quod cælibatus opinionem iis scriptis primus inuexerit: sed quod, vt Paulum, cuius erat studiosus, efferret, rebus ab eo gestis alias ipse à se confictas adiecerit. *Si qua*, inquit Tertullianus, *perperam scripta legunt, exemplum Teclæ ad licentiam mulierum docendi, tinguendiq; defendunt: Sciant in Asia Presbyterum qui eam scripturam construxit, quasi titulo Pauli, de suo cumulans; conuictum, atq; confessum id se amore Pauli fecisse, loco decessisse.* Hic quidem certè ea vna affertur causa, cur loco motus sit, quod quasi Pauli titulo scripturam construxit de suo cumulans. Ex quibus illud constat non omnia ab eo conficta, sed amore Pauli, quasi cumulum quendam nonnulla addita. Beatus verò Hieronymus, si quid in eo deprehendisset minus consentiens fidei, id sine dubio protulisset tum, cum causas redderet, cur eum improbaret: at is eum librum duabus

aliis de causis reiicit; altera quod non videtur simile veri, eã historiam aut ignorari à Luca indiuiduo Pauli Comite; aut omitti in actis Apostolicis potuisse. Altera quod Tertulliani testimonio liber ille non ita fideliter scriptus habeatur. Περιόδους, inquit, *Pauli & Tecla, & totam baptizati Leonis fabulam, inter Apocryphas scripturas computamus. Quale enim est, vt indiuiduus comes Apostoli inter cateras eius res gestas hoc solum ignorauerit? Sed & Tertullianus vicinus eorum temporum refert Presbyterum quendam σπουδαστὴν Apostoli Pauli conuictum apud Ioannem, quod auctor esset libri, & confessum, se id amore Pauli fecisse, & ob id excidisse.* Ac prior quidem illa ratio, vt non nihil habet probabilitatis: ita nihil necessario concludit; nisi eandem etiam ob causam Ioannis Euangelium in suspicionem vocemus, quod cæci nati, ac reuocati ad vitam Lazari historias quibus vix vlla est in Euangeliis illustrior, mandauit litteris: quas verisimile non est à Matthæo aut omitti, aut ignorari potuisse Adde quod constat multa à Beato Luca ex rebus gestis, atq; ærumnis Apostoli fuisse præterita. Id quod Hieronymus ipse lib. 2. in cap. 2. ad Galatas adnotauit. *Nec mirum*, inquit, *si Lucas hanc rem* (contentionem Antiochenam Petri, & Pauli) *tacuerit, cum & alia multa, qua Paulus substinuisse se replicat, historiographi licentia pratermiserit.* Cur autem quædam scripserint, alia non minora, fortasse etiam maiora, omiserint sacræ historiæ scriptores: scit is, qui stylos eorum rexit, & scripturas condidit Spiritus sanctus. Posterior tantam vim habet, quantam ei Tertulliani narratio tribuit. Neutra porro indicat aut historiam eam quam hic narrat Abbatus, aut quicquam omnino eorum, quæ eo volumine continebantur, à fide, ac religione

gione alienum fuisse: Eusebius quidem lib. 3. cap. 25. historiæ librum hunc, quem actus Pauli appellat inter eos numerat, qui quamuis nihil contineant fidei Christianæ, atque Apostolicæ disciplinæ minus consentaneum; dubiæ tamen erant auctoritatis; quod quibusdam Canonici viderentur; aliis non itē. Deniq; quęcunq; demū acta illa fuerint, ea longè ab iis diuersa esse, quæ etiā nūc extant, atque acta passionis Teclæ inscribuntur, vel illud argumento est; quod vt notat Baronius tom. primo ad annum Domini 47. in actis illis mendacibus auctore Tertulliano, & prædicasse, & baptizasse Tecla narrabatur; quod in actis, quæ passionis Teclæ inscribuntur, nusquam inuenies. item vt totam illam baptizati Leonis fabulam, quam libro illi abscribit Beatus Hieronymus. Hæc autem historia, quam vt in inuidiam cælibatum vocet, homo impurus, actis illis apocryphis tribuit, è veris Beatæ Teclæ actis petita est; quam etiam grauissimorum Patrum testimoniis confirmat loco citato Baronius. Profert enim duos Gregorios Nyssenum, & Nazianzenum, Epiphanium, Chrysostomum, Ambrosium, Cyprianum, Maximum, Augustinum, Metaphrastem, plurimas item martyrum historias, quæ rei huius meminerunt. Ipsum denique Hieronymum in Epistola ad Oceanum, vbi *Tecla*, inquit, *post tentationem passionis, Antiochiæ à Paulo prohibetur pariter pergere*. Ac ne forte nonnullorum, quamuis parum iusta de eius Epistolæ scriptore dubitatio: tibi iustæ alicuius exceptionis ansam præbere videatur: Teclam idem Hieronymus tanti facit vt solam è toto virginum choro delegerit, quam in Epistola ad Eustochium de seruanda virginitate, cum Maria matre Domini numeraret. *Qualis erit*, inquit,

illa dies cum tibi Maria Mater Domini choris occurret comitata virgineis, cum post rubrum mare submerso cum suo exercitu Pharaone tympanum tenens pracinet responsuris, Cantemus Domino, gloriosè enim honorificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare. Tunc Tecla in tuos læta volabit amplexus; tunc & ipse sponsus occurret. Qualem eam esse exstimat, quam è tanto virginum numero solam nominatim posuit cum Maria? Non igitur Teclæ vel historiam reiicit, vel exemplum auersatur: Sed periodos Teclæ, & Pauli, atque illam baptizati Leonis fabulam non recipit. At tu quia quicquid caro non est, fabula tibi est: virginitatem etiam Teclæ in fabulis numeras, eamque historiam tam certam, tam multis, tot grauissimorum hominum testimoniis confirmatam apud imperitos traducis. atque inde factum esse affirmas; vt multi ex Patribus in virginitatis admirationem raperentur. *Quæ fabula*, inquis, *postea quantos viros fefellit, Cyprianum, Ambrosium, Epiphanium, Augustinum; qui pro vera historia librum illum susceperunt, eoq; ad superstitiosam virginitatis admirationem vehementer allecti sunt.* Atqui Cyprianus Tertullianum, cuius erat studiosissimus, legerat Beatus Augustinus. Neque vero verisimile est, hunc vnum eius scriptoris locum eorum industriam, ac diligentiam effugere potuisse. qui igitur factum est; vt ab eo moniti induci se in fraudem mēdacij narratione paterentur? Certè si modo sui compotes tantos viros facis, necesse est fatearis, illos aut maiorem habuisse fidem illi historiæ, quàm Tertulliano, quod ab iis sine iusta aliqua causa factum suspicari non possumus, aut eam historiam inuenisse apud alios scriptores, de quorum fide dubitare non possent; quod si ita est, nihil habes,

quod

quod contra obiicias; aut certè non huius historiæ authoritate commotos tantum virginitati tribuisse, quantum illi ab iis tributum impuri homines iniquissimè patimini; quod integritatis præconium turpitudinis vestræ vituperatio est. Ceterum tu quidem nimis exiguum numerum eorum facis, qui virginitatem miris in cælum laudibus extulerunt, quos omnes si numerare voluisses; vix quenquam ex antiquis scriptoribus omisisses. Hieronymus quidem certè, quem tu tui huius mendacij authorem facere voluisti, virginitatis præstantiam aduersus Iouinianum acerrimè defendit; Idē scripsit ad Eustochium, scripsit ad Demetriadem de custodia virginitatis. deniq; tam multus in eius laudibus est: vt nunquam satis dixisse sibi videatur, illum ne etiam Teclæa ista, vt tu blasphemas, fabula dementauit? Deinde, ita te palus amet Physignathe, quibus authoribus comperisti, ea historia adductos esse hos Patres: vt virginitatem tantopere commendarent? Nam Cyprianus ipso libri eius initio, quem de habitu virginum scripsit, virginitatis laudes ex verbis Domini primum Matth. 19. deinde ex Apocalypsis 14. denique ex prim. Corint. 7. repetit; quas tu literas, nisi quid fortè aliter in palude sentitis; apocryphas esse non dices. *Quæ se Christo dicauerint*, inquit, *& à carnali concupiscentia recedentes, tam carne quam mente se Deo deuouerint: opus suum consument magno præmio destinatum; nec ornari iam aut placere cuiquam nisi Domino suo studeant; à quo & mercedem virginitatis expectant, dicente ipso, Non omnes capiunt hoc verbum; sed illi, quibus datum est. Sunt enim spadones, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cælorum; & sunt spadones, qui castrati sunt ab hominibus. Denuò quoq; per hanc Angeli vocem*

vocem continentiæ munus ostenditur, virginitas prædicatur; Hi sunt, qui sequuntur agnum quocunq; ierit, &c. Et post pauca, *Quod si Christum continentia sequitur; & regno Dei virginitas destinatur: quid est illis cum terreno cultu, & cum ornamentis, quibus dum hominibus placere gestiunt, dominum offendunt?* Et post pauca. *Instruit nos Paulus, & dicit. Cælebs cogitat ea, quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo: qui autem matrimonium contraxit, cogitat, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori. Sic & virgo & mulier innupta cogitat quæ sunt Domini, vt sit sancta corpore & Spiritu.* Satisnè tibi videtur Abbate Cypriani credula simplicitas delirare? qui rem tantam Apocryphorum nescio quibus somniis, hoc est Christo, & duobus Apostolis auctoribus adstruat? Quid Augustinus? num ipse quoque superstitione occupatus est? ita opinor. *Hoc tempore*, inquit, in ipso libri de sancta virginitate ingressu, *quibus dictum est, si se non continent nubant; non adhibenda est exhortatio, sed consolatio; quibus autem dictum est, qui potest capere, capiat, exhortandi sunt, ne terreantur; & tenendi sunt, ne extollantur.* Hoc ne etiam, quod apud Matthæum legerat, ex periodis Pauli, & Teclæ didicit Augustinus? Pergit. *Hoc isto sermone suscepimus, adiuuet Christus virginum sponsus, virginali vtero, corporaliter natus, virginali connubio spiritualiter coniugatus. Cum ipsa igitur vniuersa Ecclesia virgo sit desponsata vni viro Christo, sicut dicit Apostolus: Quanto digna sunt honore membra eius, quæ hoc custodiunt etiam in carne, quod tota custodit in fide, quæ imitatur matrem viri & Domini sui?* At hoc quidem, sine controuersia, ex Apocrypho illo Asiatico sumptum est. quæ enim sunt ista somnia? Christus virgo, virginis filius, virginum sponsus, virgo Ecclesia vni viro Christo desponsata,

sata, decepit hominis minimè mali animum nimis credulum illa de repudiato à Tecla sponso ficta narratio. Nam illa cuiusmodi sunt? *Ipsa quoq; virginitas eius* (Beatæ Mariæ) *ideò gratior & acceptior; quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conseruaret, ipse præripuit: Sed priusquam conciperetur, iam Deo dicatam; de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fœtum annuncianti Angelo, Maria reddidit. Quomodo, inquit, fiet istud quoniam virum non cognosco? quod profectò non diceret; nisi Deo virginem se ante vouisset, &c.* Et post pauca. *Poterat & iuberi virgo permanere, in qua Dei filius serui formam congruenti miraculo acciperet: Sed exemplo sanctis futura virginibus, ne putaretur sola virgo esse debuisse, quæ prolem etiam sine concubitu concipere meruisset: virginitatem Deo dicauit, cū adhuc quid esset conceptura, nesciret; vt in terreno, mortalique corpore cælestis vitæ imitatio voto fieret; non præcepto; amore eligendi; non necessitate seruiendi.* Videnturne tibi Augustino exempla defuisse, quibus virginitatem vel suspiceret, vel commendaret: vt ex apocryphis peteret, quod in Canonicis litteris non inuenisset? Sed Ambrosium nullo videlicet rerum humanarum vsu, eoque imposturis Apocryphorum obnoxium, audiamus. Is in ipso initio primi libri de Virginibus. *Immaculatus,* inquit, *Dominus, immaculatam sibi familiam, etiam in hoc pleno colluuionum fragilitatis humanæ corpore consecrauit.* hic profectò ad ipsam Christi virginitatem rem totam reuocat. Et post narratam Beatæ Agnetis historiam. *Non ideo,* inquit, *laudabilis virginitas, quia in martyribus reperitur; sed quia ipsa martyres faciat: Quis autem humano eam posset ingenio comprehendere; quam nec natura suis inclusit legibus? aut quis naturali voce complecti; quod supra*

bus verbis referendis, nisi si forte me Basileensis codex decepit, aliquid est fraudis, & imposturæ tuæ. Hac enim tua narratione primum accusatur temeraria quædam Papiæ credulitas: qui nullum haberet delectum eorum, à quibus quæreret, sed vt quisque se seniorum assectatorem diceret; in eius se disciplinam protinus daret. Deinde eorum eleuatur fides; à quibus audiuit, quæ scripsit; cum ij non Apostolorum, sed aliorum nescio quorum seniorum assectatores, non tam afferrent, quæ ipsi ab Apostolis accepissent; quam quæ aliorum narratione de Apostolis comperissent. At Papias longè aliter narrat; cuius ea verba sunt apud Eusebium: *Neq; enim multa dicentibus; sed vera tradentibus auscultauimus. Neque his, qui hominum præcepta; sed qui Domini mandata memorabant, ab ipsa veritate suscepta.* Vides non temerè cuicũque fidem ab eo habitam fuisse? Perge. *Quod si quando aduenisset aliquis ex iis, qui sequuti sunt Apostolos,* (Non igitur, qui sequutos tantum se esse dicerent ex senioribus quempiam) *sedulo expiscabar, quid Andreas, quid Petrus dixerat, &c.* Post ea verba, quæ ex Eusebio, ita ad rem tuam composuisti, hæc subiicis: *Quibus dum fidem adhibuit, & porro exiguo iudicio præditus Apostolicas disputationes perperam accepit, minus rectè considerans, quæ ab illis per hypodigmata, & figurate dicta sunt: multas fabulas & peregrinas doctrinas in Ecclesiam inuexit; nec ipse modo errauit, vt notat Eusebius; sed quam plurimis post se Ecclesiasticis viris ad antiquitatem eius respicientibus errandi occasionem suppeditauit.* Quibus verbis duo minimum tua mendacia continentur. Alterum quod, cum Eusebius vnũ Chiliastarum errorem in eo reprehendat; tu multas ab eo fabulas, & peregrinas doctrinas inuectas in Ecclesiam

calum-

calumniaris; sic enim scribit Eusebius, *Dicit autē* (Papias) *& alia plurima à maioribus sibi tradita miracula, & nouas quasdam parabolas Saluatoris & doctrinam incognitam, magisque fabulosam; mille annos futuros post resurrectionem, quibus corporaliter regnum Christi in hac vita futurum sit. Sed ego puto, eam spirituales, & mysticas Apostolorum traditiones corporaliter, & secundum literam suscepisse, nec potuisse discernere ea, quæ illi in figuris velut lactentibus, & paruulis loquebantur; qui & re vera etiam ex ipsis, quæ conscripsit opusculis exigui sensus vir, & minus capacis ostenditur; multis tamen post se Ecclesiasticis viris erroris huius præbuit occasionem.* Hæc Eusebius, quem tu, vt ex antiquitate ipsa contra antiquitatem proferre testimonia videre-re; item vt reliquos corrupisti: Videbas nimirum nouitiam istam disciplinam, ac recens ortum è cæno, atque in paludibus Euangelium probari hominibus per se ipsum sine aliqua vetustatis commendatione non posse.

Alterum mendacium tuū illud est, quod nusquam docet Eusebius, id quod tu credi cupis, Papiam ab vllo eorum in fraudem inductum esse, à quibus ea quæsiuerat: ac ne verbum quidē vllum dicit, vnde eius rei possit oriri suspicio. Sed hoc tu, quia ad rem tuam facere existimabas, sine teste, sine indiciis, sine coniectura vlla probabili, & his verbis, & superioribus ad libidinem tuam affirmasti. Est enim illa quoque tua Physignathe, robusta fraus; quod rerum gestarum historiam, non ex veteri memoria, sed ex cerebro tuo tam confidenter profers; vt de re minimè dubia, planeque explorata loqui te credat, qui te non nouerit. Quem locum priusquam tractandum aggrediar, ex te libet quærere Physi- 7. *Abbatus fingit hist. quas pro veris, ac minimè dubiis profert.*

aliis de causis reiicit; altera quod non videtur simile veri, eã historiam aut ignorari à Luca indiuiduo Pauli Comite; aut omitti in actis Apostolicis potuisse. Altera quod Tertulliani testimonio liber ille non ita fideliter scriptus habeatur. Περιόδους, inquit, *Pauli & Tecla, & totam baptizati Leonis fabulam, inter Apocryphas scripturas computamus. Quale enim est, vt indiuiduus comes Apostoli inter cæteras eius res gestas hoc solum ignorauerit? Sed & Tertullianus vicinus eorum temporum refert Presbyterum quendam* σπουδαστὴν *Apostoli Pauli conuictum apud Ioannem, quod auctor esset libri, & confessum, se id amore Pauli fecisse, & ob id excidisse.* Ac prior quidem illa ratio, vt non nihil habet probabilitatis: ita nihil necessario concludit; nisi eandem etiam ob causam Ioannis Euangelium in suspicionem vocemus, quod cæci nati, ac reuocati ad vitam Lazari historias quibus vix vlla est in Euangeliis illustrior, mandauit litteris: quas verisimile non est à Matthæo aut omitti, aut ignorari potuisse Adde quod constat multa à Beato Luca ex rebus gestis, atq; ærumnis Apostoli fuisse præterita. Idquod Hieronymus ipse lib. 2. in cap. 2. ad Galatas adnotauit. *Nec mirum*, inquit, *si Lucas hanc rem* (contentionem Antiochenam Petri, & Pauli) *tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus substinuisse se replicat, historiographi licentia prætermiserit.* Cur autem quædam scripserint, alia non minora, fortasse etiam maiora, omiserint sacræ historiæ scriptores: scit is, qui stylos eorum rexit, & scripturas condidit Spiritus sanctus. Posterior tantam vim habet, quantam ei Tertulliani narratio tribuit. Neutra porro indicat aut historiam eam quam hic narrat Abbatus, aut quicquam omnino eorum, quæ eo volumine continebantur, à fide, ac religione

gione alienum fuiſſe: Euſebius quidem lib. 3. cap. 25. hiſtoriæ librum hunc, quem actus Pauli appellat inter eos numerat, qui quamuis nihil contineant fidei Chriſtianæ, atque Apoſtolicæ diſciplinæ minus conſentaneum; dubiæ tamen erant auctoritatis; quod quibuſdam Canonici viderentur; aliis non itē. Deniq; quęcunq; demū acta illa fuerint, ea longè ab iis diuerſa eſſe, quæ etiā nūc extant, atque acta paſſionis Teclæ inſcribuntur, vel illud argumento eſt; quod vt notat Baronius tom. primo ad annum Domini 47. in actis illis mendacibus auctore Tertulliano, & prædicaſſe, & baptizaſſe Tecla narrabatur; quod in actis, quæ paſſionis Teclæ inſcribuntur, nuſquam inuenies. item vt totam illam baptizati Leonis fabulam, quam libro illi abſcribit Beatus Hieronymus. Hæc autem hiſtoria, quam vt in inuidiam cælibatum vocet, homo impurus, actis illis apocryphis tribuit, è veris Beatæ Teclæ actis petita eſt; quam etiam grauiſſimorum Patrum teſtimoniis confirmat loco citato Baronius. Profert enim duos Gregorios Nyſſenum, & Nazianzenum, Epiphanium, Chryſoſtomum, Ambroſium, Cyprianum, Maximum, Auguſtinum, Metaphraſtem, plurimas item martyrum hiſtorias, quæ rei huius meminerunt. Ipſum denique Hieronymum in Epiſtola ad Oceanum, vbi *Tecla*, inquit, *poſt tentationem paſſionis, Antiochiæ à Paulo prohibetur pariter pergere*. Ac ne forte nonnullorum, quamuis parum iuſta de eius Epiſtolæ ſcriptore dubitatio: tibi iuſtæ alicuius exceptionis anſam præbere videatur: Teclam idem Hieronymus tanti facit vt ſolam è toto virginum choro delegerit, quam in Epiſtola ad Euſtochium de ſeruanda virginitate, cum Maria matre Domini numeraret. *Qualis erit*, inquit,

illa dies cum tibi Maria Mater Domini choris occurret comitata virgineis, cum post rubrum mare submerso cum suo exercitu Pharaone tympanum tenens pracinet responsuris, Cantemus Domino, gloriosè enim honorificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare. Tunc Tecla in tuos læta volabit amplexus; tunc & ipse sponsus occurret. Qualem eam esse exstimat, quam è tanto virginum numero solam nominatim posuit cum Maria? Non igitur Teclæ vel historiam reiicit, vel exemplum auersatur: Sed periodos Teclæ, & Pauli, atque illam baptizati Leonis fabulam non recipit. At tu quia quicquid caro non est, fabula tibi est: virginitatem etiam Teclæ in fabulis numeras, eamque historiam tam certam, tam multis, tot grauissimorum hominum testimoniis confirmatam apud imperitos traducis, atque inde factum esse affirmas; vt multi ex Patribus in virginitatis admirationem raperentur. *Quæ fabula,* inquis, *postea quantos viros fefellit, Cyprianum, Ambrosium, Epiphanium, Augustinum; qui pro vera historia librum illum susceperunt, eoq́, ad superstitiosam virginitatis admirationem vehementer allecti sunt.* Atqui Cyprianus Tertullianum, cuius erat studiosissimus, legerat Beatus Augustinus. Neque vero verisimile est, hunc vnum eius scriptoris locum eorum industriam, ac diligentiam effugere potuisse. qui igitur factum est; vt ab eo moniti induci se in fraudem mēdacij narratione paterentur? Certè si modo sui compotes tantos viros facis, necesse est fatearis, illos aut maiorem habuisse fidem illi historiæ, quàm Tertulliano, quod ab iis sine iusta aliqua causa factum suspicari non possumus, aut eam historiam inuenisse apud alios scriptores, de quorum fide dubitare non possent; quod si ita est, nihil habes,

quod

quod contra obiicias; aut certè non huius historiæ authoritate commotos tantum virginitati tribuisse, quantum illi ab iis tributum impuri homines iniquissimè patimini; quod integritatis præconium turpitudinis vestræ vituperatio est. Ceterum tu quidem nimis exiguum numerum eorum facis, qui virginitatem miris in cælum laudibus extulerunt, quos omnes si numerare voluisses; vix quenquam ex antiquis scriptoribus omisisses. Hieronymus quidem certè, quem tu tui huius mendacij authorem facere voluisti, virginitatis præstantiam aduersus Iouinianum acerrimè defendit; Idē scripsit ad Eustochium, scripsit ad Demetriadem de custodia virginitatis. deniq; tam multus in eius laudibus est: vt nunquam satis dixisse sibi videatur, illum ne etiam Teclæa ista, vt tu blasphemas, fabula dementauit? Deinde, ita te palus amet Physignathe, quibus authoribus comperisti, ea historia adductos esse hos Patres: vt virginitatem tantopere commendarent? Nam Cyprianus ipso libri eius initio, quem de habitu virginum scripsit, virginitatis laudes ex verbis Domini primum Matth. 19. deinde ex Apocalypsis 14. denique ex prim. Corint. 7. repetit; quas tu literas, nisi quid fortè aliter in palude sentitis; apocryphas esse non dices. *Quæ se Christo dicauerint*, inquit, *& à carnali concupiscentia recedentes, tam carne quam mente se Deo deuouerint: opus suum consument magno præmio destinatum; nec ornari iam aut placere cuiquam nisi Domino suo studeant; à quo & mercedem virginitatis expectant, dicente ipso, Non omnes capiunt hoc verbum; sed illi, quibus datum est. Sunt enim spadones, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cælorum; & sunt spadones, qui castrati sunt ab hominibus. Denuò quoq; per hanc Angeli*

vocem

vocem continentiæ munus ostenditur, virginitas prædicatur; Hi sunt, qui sequuntur agnum quocunq; ierit, &c. Et post pauca, *Quod si Christum continentia sequitur; & regno Dei virginitas destinatur: quid est illis cum terreno cultu, & cum ornamentis, quibus dum hominibus placere gestiunt, dominum offendunt?* Et post pauca. *Instruit nos Paulus, & dicit. Cælebs cogitat ea, quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo: qui autem matrimonium contraxit, cogitat, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori. Sic & virgo & mulier innupta cogitat quæ sunt Domini, vt sit sancta corpore & Spiritu.* Satisnè tibi videtur Abbate Cypriani credula simplicitas delirare? qui rem tantam Apocryphorum nescio quibus somniis, hoc est Christo, & duobus Apostolis auctoribus adstruat? Quid Augustinus? num ipse quoque superstitione occupatus est? ita opinor. *Hoc tempore,* inquit, in ipso libri de sancta virginitate ingressu, *quibus dictum est, si se non continent nubant; non adhibenda est exhortatio, sed consolatio; quibus autem dictum est, qui potest capere, capiat, exhortandi sunt, ne terreantur; & tenendi sunt, ne extollantur.* Hoc ne etiam, quod apud Matthæum legerat, ex periodis Pauli, & Teclæ didicit Augustinus? Pergit. *Hoc isto sermone suscepimus, adiuuet Christus virginum sponsus, virginali vtero, corporaliter natus, virginali connubio spiritualiter coniugatus. Cum ipsa igitur vniuersa Ecclesia virgo sit desponsata vni viro Christo, sicut dicit Apostolus: Quanto digna sunt honore membra eius, quæ hoc custodiunt etiam in carne, quod tota custodit in fide, quæ imitatur matrem viri & Domini sui?* At hoc quidem, sine controuersia, ex Apocrypho illo Asiatico sumptum est. quæ enim sunt ista somnia? Christus virgo, virginis filius, virginum sponsus, virgo Ecclesia vni viro Christo desponsata,

sata, decepit hominis minimè mali animum nimis credulum illa de repudiato à Tecla sponso ficta narratio. Nam illa cuiusmodi sunt? *Ipsa quoq; virginitas eius* (Beatæ Mariæ) *ideò gratior & acceptior; quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conseruaret, ipse præripuit: Sed priusquam conciperetur, iam Deo dicatam; de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fœtum annuncianti Angelo, Maria reddidit. Quomodo, inquit, fiet istud quoniam virum non cognosco? quod profectò non diceret; nisi Deo virginem se ante vouisset, &c.* Et post pauca. *Poterat & iuberi virgo permanere, in qua Dei filius serui formam congruenti miraculo acciperet: Sed exemplo sanctis futura virginibus, ne putaretur sola virgo esse debuisse, quæ prolem etiam sine concubitu concipere meruisset: virginitatem Deo dicauit, cũ adhuc quid esset conceptura, nesciret; vt in terreno, mortalique corpore cælestis vita imitatio voto fieret; non præcepto; amore eligendi; non necessitate seruiendi.* Videnturne tibi Augustino exempla defuisse, quibus virginitatem vel suspiceret, vel commendaret: vt ex apocryphis peteret, quod in Canonicis litteris non inuenisset? Sed Ambrosium nullo videlicet rerum humanarum vsu, eoque imposturis Apocryphorum obnoxium, audiamus. Is in ipso initio primi libri de Virginibus. *Immaculatus,* inquit, *Dominus, immaculatam sibi familiam, etiam in hoc pleno colluuionum fragilitatis humanæ corpore consecrauit.* hic profectò ad ipsam Christi virginitatem rem totam reuocat. Et post narratam Beatæ Agnetis historiam. *Non ideo,* inquit, *laudabilis virginitas, quia in martyribus reperitur; sed quia ipsa martyres faciat: Quis autem humano eam posset ingenio comprehendere; quam nec natura suis inclusit legibus? aut quis naturali voce complecti; quod supra*

vsum natura sit? E cælo accersiuit, quod imitaretur in terris. nec immerito viuendi sibi vsum quæsiuit è cælo; quæ sponsum sibi inuenit in cælo. Hæc nubes, aëra, Angelos, syderaq́; transgrediens, verbum Dei in ipso sinu Patris inuenit, & toto hausit pectore. Ne hæc quidem à superioribus dissentiunt. Et post pauca. *Postremò non meum est illud, quoniam, quæ non nubunt, neq́; nubentur, erunt sicut Angeli Dei in cælo. Nemo ergo miretur, si Angelis comparetur, quæ Angelorum Domino copulatur. quis igitur neget hanc vitam fluxisse de cælo; quam non facilè inuenimus in terris, nisi postquàm Deus in hac terreni corporis membra descendit? tunc in vtero Virgo concepit, & Verbum caro factum est, vt quod caro factum est, caro fieret Dei.* At hæc non ex historia Teclæ, sed ex Euãgeliis, & Christi ipsius exemplo petuntur. Id quod non ita multò post etiam apertius docet. Quid est castitas virginalis, nisi expers contagionis integritas? Atque eius auctorem, quem possumus existimare: nisi immaculatum Dei filium, cuius caro non vidit corruptionẽ, diuinitas non est experta contagionem. At Abbatus Asiaticum nescio quem presbyterum à te nominatum iri credebat, ex quo illud quoque senex nimis credulus hausisti: *De Virginibus*, inquit Apostolus, *præceptum Domini non habeo; consilium autem do. Si Doctor gentium non habuit; habere quis potuit? Et præceptum quidem non habuit; sed habuit exemplum. Non enim imperari potest virginitas, sed optari. Nam quæ supra nos sunt; in voto magis, quã in magisterio sunt. Sed volo vos inquit, sine solicitudine esse. Nam qui sine vxore est; solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo; & virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu. Nam quæ nupta est; cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat viro.* Iam misereor Apostoli Pauli, qui

li, qui ipse quoque scriptis illis apocryphis studiosi sui presbyteri inductus in fraudem est. Quid enim grauius, quid magnificentius, quid amplius ad virginitatis prædicationem à quoquam afferri potuit? Vnus reliquus est Epiphanius, quem quia ad manus in præsentia non erat, non magnopere laboraui vt viderem. satis te impudentissimi mendacij obsignatis aliorum tabulis conuicimus. Neque verò dubito, quin de eo quoque mentiare. cur enim exemplum Teclæ potius; quam Beatæ Mariæ, quam Christi Domini, quam consilium Pauli, quam Christi oraculum hominem scripturarum scientissimum ad virginitatis admirationem alliceret? At enim Teclam hi Patres propter dicatam Deo virginitatẽ maiorem in modum laudant. Laudant verò etiam omnes ferè Patres Beatum Stephanum, quod primus sanguine suo testimonium Euangelio dederit, quodque pro lapidatoribus suis preces ad Deum moriens fuderit; an tu propterea à Stephano profectam non è Christi Domini exemplo, institutisque petitam eam disciplinam dicturus es? Huc etiam spectat id quod sectione huius capitis secunda callidè admodum scribis, ità enim iis, quæ Eusebius de Papia disputat, interponis tua; vt nisi qui Eusebium ipsum consuluerint, ea omnia ab Eusebio scripta esse facilè credant. Cum enim dixisses, *Papiam malè fidis Apostolicorum virorum sectatoribus vltro se fallendum præbuisse.* Subdis primum deprauata Eusebij verba ex lib. 3. hist. cap. 36. *Vbi quisquam*, inquit, *veniret, qui seniorum assectatorem se diceret, vt verba seniorum exquireret, quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas vel alius quispiam ex discipulis Domini, quidq; Aristion, & senior Ioannes discipuli Domini dixerint.* in qui-

bus verbis referendis, nisi si forte me Basileensis codex decepit, aliquid est fraudis, & imposturæ tuæ. Hac enim tua narratione primum accusatur temeraria quædam Papiæ credulitas: qui nullum haberet delectum eorum, à quibus quæreret, sed vt quisque se seniorum assectatorem diceret; in eius se disciplinam protinus daret. Deinde eorum eleuatur fides; à quibus audiuit, quæ scripsit; cum ij non Apostolorum, sed aliorum nescio quorum seniorum assectatores, non tam afferrent, quæ ipsi ab Apostolis accepissent; quam quæ aliorum narratione de Apostolis comperissent. At Papias longè aliter narrat; cuius ea verba sunt apud Eusebium: *Neq; enim multa dicentibus; sed vera tradentibus auscultauimus. Neque his, qui hominum præcepta; sed qui Domini mandata memorabant, ab ipsa veritate suscepta.* Vides non temerè cuicũque fidem ab eo habitam fuisse? Perge. *Quod si quando aduenisset aliquis ex iis, qui sequuti sunt Apostolos,* (Non igitur, qui sequutos tantum se esse dicerent ex senioribus quempiam) *sedulo expiscabar, quid Andreas, quid Petrus dixerat, &c.* Post ea verba, quæ ex Eusebio, ita ad rem tuam composuisti, hæc subiicis: *Quibus dum fidem adhibuit, & porro exiguo iudicio præditus Apostolicas disputationes perperam accepit, minus rectè considerans, quæ ab illis per hypodigmata, & figurate dicta sunt: multas fabulas & peregrinas doctrinas in Ecclesiam inuexit; nec ipse modo errauit, vt notat Eusebius; sed quam plurimis post se Ecclesiasticis viris ad antiquitatem eius respicientibus errandi occasionem suppeditauit.* Quibus verbis duo minimum tua mendacia continentur. Alterum quod, cum Eusebius vnũ Chiliastarum errorem in eo reprehendat; tu multas ab eo fabulas, & peregrinas doctrinas inuectas in Ecclesiam

calum-

calumniaris; sic enim scribit Eusebius, *Dicit autē* (Papias) *& alia plurima à maioribus sibi tradita miracula, & nouas quasdam parabolas Saluatoris & doctrinam incognitam, magisque fabulosam; mille annos futuros post resurrectionem, quibus corporaliter regnum Christi in hac vita futurum sit. Sed ego puto, eam spirituales, & mysticas Apostolorum traditiones corporaliter, & secundum literam suscepisse, nec potuisse discernere ea, quæ illi in figuris velut lactentibus, & paruulis loquebantur; qui & re vera etiam ex ipsis, quæ conscripsit opusculis exigui sensus vir, & minus capacis ostenditur; multis tamen post se Ecclesiasticis viris erroris huius præbuit occasionem.* Hæc Eusebius, quem tu, vt ex antiquitate ipsa contra antiquitatem proferre testimonia videreре; item vt reliquos corrupisti: Videbas nimirum nouitiam istam disciplinam, ac recens ortum è cæno, atque in paludibus Euangelium probari hominibus per se ipsum sine aliqua vetustatis commendatione non posse.

Alterum mendacium tuū illud est, quod nusquam docet Eusebius, id quod tu credi cupis, Papiam ab vllo eorum in fraudem inductum esse, à quibus ea quæsiuerat: ac ne verbum quidē vllum dicit, vnde eius rei possit oriri suspicio. Sed hoc tu, quia ad rem tuam facere existimabas, sine teste, sine indiciis, sine coniectura vlla probabili, & his verbis, & superioribus ad libidinem tuam affirmasti. Est enim illa quoque tua Physignathe, robusta fraus; quod rerum gestarum historiam, non ex veteri memoria, sed ex cerebro tuo tam confidenter profers; vt de re minimè dubia, planeque explorata loqui te credat, qui te non nouerit. Quem locum priusquam tractandum aggrediar, ex te libet quærere Physignathe; 7. *Abbatus fingit hist. quas pro veris, ac minimè dubiis profert.*

gnathe; quid tibi tandem in mentem venerit, tam multarum imposturarum conscio, cap. 5. sectione prima imposturæ Bellarminum accersere? in quo cum summa omnia sint: nihil tamen est illustrius; quam ingenuus animi candor, ac morum verè Christiana simplicitas. At quo tandem nomine Bellarminum Abbatus reprehendit? quod cum Hilarius Canone 25. in Matthæū doceat, ante euersam Hierosolymam Euangelium ad omnes gentes fuisse delatum, Hieronymus in cap. 24. Matthæi dubitare se scripserit, vtrum vlla esset terrarum natio, ad quam tum, cum illa scriberet, non dum Euāgelium peruenisset, ex eoque collegerit, impleto iam Domini vaticinio de prædicatione Euangelij ad omnes gentes iudicij diem imminere: Bellarminus eorum testimoniis vtatur. vt probet ante Euangelium regni orbem terrarum vniuersum peruagari debere; quàm reueletur Antichristus. At si vel ante deletam Hierosolymam, vel cum B. Hieronymus illa scriberet omnibus gentibus prædicatum fuerat Euangelium: non ne longissimo etiam interuallo ea prædicatio Antichristum, vel te adstipulatore præcessit? Quid igitur in Bellarmino reprehendis? At enim Bellarminus negat etiam nūc ad omnes gentes esse delatum; à qua eius assumptione Hieronymus, Hilariusque dissentiunt. Sint ista sanè; ideò ne impostor, ac tui similis Bellarminus; quod propositionis suæ testes eos adhibuit, cum quibus illi de assumptione non conuenit? An hoc etiam noui portenti tulit vestra ista palustris Lybia; vt nihil inter syllogismi propositionem, atque assumptionem intersit? idemque sit assumptum, ac propositionem negare? Sed redeamus ad nostrum, & commentitias Abbati historias profera-

feramus. Significat primi huius capitis ſectione prima ab Apoſtolis obſcurè admodum, atque inuolutè, neque niſi ſcripto tradita fuiſſe fidelibus, quæ ad Antichriſtum pertinebant. *Cuius nomen*, inquit, (Antichriſti) *poſtquam in Eccleſia percrebuiſſet; cæptũ eſt inquiri quis ille, qualisnè futurus; vbi, & quando venturus, quid & quando, & quousq́; facturus eſſet; & curioſa temeritas, quod erat in ſcripturis obſcurius, & Prophetiæ tenebris inuolutum; euolui ſibi voluit, & explicari; vt tanquam ſub oculis Antichriſtum haberet; & illum clara luce conſpicuum intueretur.* Atqui ſi Apoſtoli viua etiam voce cum fidelibus de Antichriſto diſputarunt tum, cum iis Euangelium prædicarent: non video vnde conſtare Abbato poſſit, eos ita Prophetiæ tenebris & inuolucris myſterium illud tectũ, atq; implicatum tradidiſſe; vt nihil ne rogati quidem euoluerent. Quàm autem veriſimile eſt, aut eos, qui diſputationibus eorum intererant, aut eos in quorum manus eorum adhuc viuentium litteræ venerant, iis de rebus doceri enucleatius explicatiusq́ue noluiſſe? Sed Antichriſti modo nomen edoctos, de re ipſa non fuiſſe ſollicitos? Aut igitur neget Abbatus, quicquam Apoſtolos de Antichriſto viua voce prodidiſſe; aut negare non poterit, hæc non ex veteri hiſtoria petita; ſed nuper à ſe excogitata & compoſita fuiſſe. At illud incolumi ſcripturarum fide ſuſtentari non poteſt; cum diſertè teſtetur Apoſtolus 2. Theſſal. 2. tota ea de re ſe, cum apud eos eſſet, verba feciſſe. Quanquàm habet illud etiam dubitationis nonnihil: quod ſi ea, quæ de Antichriſto in ſacris litteris tradita ſunt, tantis ſunt difficultatibus implicata, ac tam denſis offuſa tenebris, vt ea ne ab iis quidem intelligi poſſent, qui primorem illam, atque incorruptam fidei

ſidei diſciplinam, quaſi lac ab Apoſtolis hauſerant, tum cum tam abundè paſſim in corda credentium Spiritus ſanctus effundebatur: non facile erit ex iis diuinorum oraculorum ambagibus etiam nunc lucem perſpicuæ, ac minimè dubiæ veritatis elicere. Vt vel eo nomine ſuſpecta eſſe debeat Abbati à Patribus ad diuinas litteras prouocatio; quod eæ difficillimos hac in parte habeant explicatus. Sed alterum eius hac de re commentũ videamus. pergit. *Quare,* inquit, *ad hanc petulantiam,* (veterum Chriſtianorum, nihil enim eſt apud iſtos ſanctum, atque inuiolatum) *hæreticorum impoſtura ſe accommodans, & arborem interdictæ adhuc ſcientiæ maximo cum fructu guſtandam adpromitens: commentitium quendam Antichriſtum è ſomniis ſuis, & Iudæorum fabulis edolauit, & inſolentiſsima temeritate certiſsima dogmata de rebus incertiſsimis, quia longè poſt futuris, pronunciare auſa eſt; Ac ne prorſus auctoritate carere videretur, ſacrarum ſcripturarum teſtimonia quædam detorſit ad ineptias ſuas; vt humanas præſumptiones pro diuinis oraculis habendas eſſe perſuaderet. Hinc illa manarunt Antichriſtum fore Iudæum, & naſciturũ ex Tribu Dan, templum Hieroſolymis inſtauraturum, ibi ſeſſurum, ibi eum Iudæos veneraturos, deinde prælium cum gentibus facturum, ſubiugaturum ſibi orbem terrarum, & hæc omnia tribus annis & dimidio confecturum.* Hic ego ſcire abs te Phyſignathe peruelim, quibus auctoribus comperereris, hæreticorum ea inuenta fuiſſe; aut vllos vnquã hæreticos quicquam de illis rebus diſputaſſe. Epiphanius quidem certè, Theodoretus, Auguſtinus, ac reliqui, qui veterum hæreticorum, atque hæreſum Catalogos texunt, eius rei nuſquam meminerunt. Sed hanc tibi ipſe fabulam, qua es in mentiendo ſolertia egregius

faber

faber edolaſti. *At enim*, inquis ſect. 2. *apud Gennadium in Catalogo illuſtrium virorum commemoratur Iacobus ſub Maximino cõfeſſor, Epiſcopus Niſibenus ſub imperio Conſtantini, qui diuinis ſcripturis compreſſit ora eorum, qui præſumptuoſa ſuſpicione de aduentu Antichriſti, vel Domini noſtri inaniter philoſophati ſunt.* Neſcio quo tuo malo fiat, vt ne vera quidem ſine mendacio poſſis dicere. Nam quænam eæ fuerint inanes ſuſpiciones de aduentu Antichriſti Gennadius non narrat; Iacobi illius libri non extant; tu ad ea detorques, quæ ab Irenæo, atque aliis deinde Patribus diſputata ſunt; idque nullo alio auctore, quam mentiendi libidine, ac malignitate tua. qui ſi Gennadij ipſius verba cum veteri hiſtoria contuliſſes: intellexiſſes profecto longè aliud eſſe, quod is eo loco ſignificat. Nam, vt videre eſt apud Bellarminum cap. 3. fuerunt vel ab ipſo Eccleſiæ initio, qui certum tempus ſtatuerent aduentus Antichriſti, & conſumationis ſæculi. Ita Iudas quidam ex Hieronymo ducenteſimum, Lactantius quingenteſimum, alij ex Auguſtino quadringenteſimum Domini annum conſtituerunt. qui omnes apertè ſacris litteris aduerſantur, cum Dominus ea de re rogatus ab Apoſtolis negauerit eſſe noſtrum noſſe tempora, nec momenta. Quamobrem inanis, ac præſumptuoſa erat omnis eorum ſuſpicio; id quod etiam notat Beatus Auguſtinus. Porrò huc ſpectare ea Gennadij verba colligi poteſt, tum quia liber, in quo ea Iacobus diſputare dicitur chronicum erat. vt veriſimile ſit de annis, ac temporibus in eo libro diſputatum eſſe; tum quia nõ de ſolo Antichriſti, ſed de Domini etiam aduentu ij philoſophabantur, quos eo libro refellit Iacobus; de quo cum plurima ſciamus, tempus neque ſcire poſſumus

mus neque inuestigare, integrum nobis est. Denique si ea, quæ in scripturis de Antichristo traduntur, tam densis erant inuoluta tenebris; vt ea ne Apostolorum quidem auditores intelligerent, vt Abbato placet: qua ratione ex scripturis Iacobus eorum suspiciones tanto ante confutauit? Iam quod res eas, quæ de Antichristo prædicabantur ab Apostolis, quia longè post futuræ erant; ideò incertissimas fuisse docet; à Caluiniana disciplina nō discedit; qui enim nihil credunt, nisi quod lubet: nihil habent certum, nisi quod vident; at quibus fides est argumentum non apparentiū; iis certiora sunt ea, quæ etiam longissimè post futura prædixerit Spiritus sanctus; quam quæ præsentia oculis contemplantur. At enim interdictæ tunc scientiæ arbor ea fuit, quam gustare humana temeritas voluit. At hoc ipsum mi Physignathe qui constat? quia ne tu ad paludem tuā apricans, ita vaticinaris? tantis ne igitur tenebris Ecclesiam premi necesse fuit; dum Anna Bolenia Henrico octauo neptem Elisabetham enixa, diuinis oraculis lucem afferret? Sed tu incredibile dictu est, quanta confidētia de rebus tanto interuallo à nostra memoria remotis, nullo auctore pronuncies; interfuisse te dicerem, cum hæc agerentur; nisi paulò ante è Palude Oxoniensi muscosus Theologus emersisses. Ita sect. 2. vbi Papiam satis exagitasse visus es. *Illum*, inquis, *sequutus est Irenæus, & eius auctoritate permotus Chiliastarum hæresim è Cerinthi fontibus haustam, amplexus est; cum qua dum iudaizat, & Apocalypsin, & alias scripturæ sententias, vt testatur Hieronymus, ad litteram exponit: non dubium est multas de Antichristo fabulas, quas simul imbibit Irenæus, fuisse coniunctas.* Conuertat te Deus infelix. quibus tandem vel rationibus,

bus, vel auctoribus probaturus es, ullas de Antichristo fabulas, atque carnales interpretationes hausisse Irenæum è fontibus Papiæ? quia ne Chiliastarum errorem ab eo imbibit? at si necesse est eum, qui semel errauerit; omnibus in rebus errare. vide quid de Luthero tuo dicturus sis: quem, quia Caluinianus es, quibus in rebus à Caluino dissidet, sine dubio errasse cōtendes. Citas tu quidem ad marginem Beatum Hieronymum in Prologo lib. 18. in Isaiam, sed is eo loco non nisi Chiliastarum errorem, atque eas scripturæ interpretationes, quæ ex eo profectæ sunt, in Irenæo, eiusque studiosis reprehendit. vt ne in Papia quidem, à quo in Irenæum eam sententiam deriuatam esse docet in Catalogo. fabulæ illæ minimè dubiæ, quas commemoras, ex ingenio tuo, magni fabularum artificis, ortæ sunt. Quo in genere tuum illud subiiciam palmare mendacium, ex cap. 3. sect. 2. dum in Irenæum inueheris, quod primus, vt tu ais, è Papiæ fæcibus haustum errorem de instauratione templi Hierosolymitani Ecclesiæ propinarit. *Aduersus illum*, inquis, *olim vir eloquentissimus Dionysius Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, elegantem scripsit librum, teste Hieronymo; & inter cætera somnium illud de instauratione templi confutauit*; atque adnotas ad marginem Hieronymum in Isaiam lib. 18. in Prologo. At Beatus Hieronymus eo loco non de Templo ab Antichristo instaurando disputat: sed de eo, quod post resurrectionem Chiliastæ futurum fabulabantur. *Aduersus quem*, inquit, (Irenæū) *vir eloquentissimus Dionysius Alexandrinæ Ecclesiæ Pontifex elegantem scripsit librum: irridens mille annorū fabulam, & auream, atq; gemmatam in terris Hierusalem, instaurationem templi, hostiarum sanguinem, ocium sabati, cir-*

cumcisionis iniuriam, nuptias, liberorum educationem, epularum delicias, &c. quæ tu, ne vsquam non mentiare, ad Antichristum detorques. Contendis etiam sect. 6. cap. primo, Orationē illam de consummatione mundi, quæ Hippolyto martyri adscribitur, spuriam, ac supposititiā esse. *Hippolytus quidam*, inquis, *non antiquus ille Portuensis Episcopus, sed alter quidā suppositititus heri natus ex incubo, qui, quia puduit illum nominis sui, deponenda censuit oua sua in nido alieno*; atque adnotas Hippolytum oratione de consummatione mundi. Quid ita verò? aut quibus indiciis rem tantam deprehendisti? præsertim cum & opinionis eius, quæ affirmat Antichristum Dæmonem futurum, cuius tu hoc ipso loco mentionem facis meminerit Chrysostomus in cap. 2. 2. Thess. & Beatus Hieronymus in Catalogo testis sit, scripsisse Hippolytū de Antichristo. Attulisses saltem coniecturas tuas, quænam ista sunt responsa de tripode? suppositītius iste Hippolytus in alieno nido oua deposuit. credendum est, quia ita censuit recens de palude Pythagoras; qui dum ad aquuulam suam formas digito describit in ventre; tā id ingeniosè commentus est; vt etiam hecatombas Musis gratulationis causa immolari par sit.

8. *Abbatus secum pugnat.*

Denique etiam (imponendus est enim capitis huius examini aliquando finis, ne bonas horas & ipse malè collocem in tuis nugis, & lectoribus auferam.) ità es excors; vt tecum ipse toto ferè capite pugnes. Damnas sect. 3. antiquos omnes, *quod apud eos superstitio illa plus satis inualuit*, vt tu dicis; *qua piaculum esse credebatur, ab illorum instituto, ac sententia recedere, qui prius in Ecclesia celebres fuissent.* id quod pluribus ea sectione probare niteris; in simili argumento sectio etiam 4. versatur. *Ad super-*

superstitionem, inquis, *desperatio quoq; accessit.* eam porro fuisse dicis, quod, *cum maiorum scriptis ad iudicandi diligentiam excitari posteriores debuissent; ij contra ita putarunt ab iis absoluta omnia; vt nihil sibi vltra perquirendum iudicarent: nihil putarent certius à quoquam aut sanius excogitari potuisse.* At tu ipse sect. 2. confessus es Irenæum talē, ac tantum virum, quod Chiliastarum errorem docuisset, fuisse ab Alexandrino Dionysio reprehensum: Neque verò Dionysius, quod ab Irenæo ea in re dissensisset, malè apud quenquam audiuit; quamuis tanto post extiterit Apollinarius, qui Irenæi defensione suscepta plurimos etiam ex Catholicis in eam sententiam adduxit. Addidisti etiam de tuo sect. illa. 3. Augustinum cū hæreticis conserentem manum disertissimas aduersus Patrum testimonia exceptiones nonnunquam interposuisse. quis vnquam eo nomine Augustinum accusauit? Sed tu ita es infelix: vt constare tibi in mendacio tuo non possis. Protulisti Hieronymum Augustino suadenti, ne sacrorum voluminum nouam ex Hebræo versionem moliretur: dilemmate suo respondentem his verbis. *Respondeat mihi prudentia tua, quare tu post tantos; & tales interpretes in explanatione Psalmorum diuersa senseris? Si enim obscuri sunt Psalmi; te quoq; in iis falli potuisse credendum est. Si manifesti; illos in eis falli potuisse non creditur, ac per hoc vtroq; modo superflua erit interpretatio tua; & hac lege post priores nullus loqui audebit; & quodcunq; alius occupauerit, alius de eo scribendi non habebit licentiam;* Quæ dum ex Hieronymo citas: ipse te in laqueos inducis. Nnnquam enim, nisi si fortè desiperet, ea ratione argumentum Augustini dissolueret; si existimaret insitam penitus in animis hominum eam opinionem esse,

quod priores occupassent, in eo argumento posterioribus non licere versari. Neque verò eam sententiam, quicquid obgannias, Beatus Augustinus tunc probabat; ad quam cum, tanquam ad rem omnium confessione ridiculam, deducere ratiocinando Beatus Hieronymus nitebatur; quamque iam ante edita sua in Psalmos explicatione, ipse damnauerat. Sed multum interesse existimabat, verborumne an rerum interpretationem aggrediaris. Quod verborum certa, ac finita significatio est; rerum infinita varietas. Vt cum illam tot interpretum eruditionem effugere potuisse credibile non sit: hanc ne omnium quidem scriptorum acumen, atq; ingeniũ comprehendat. Porrò sect. 5. in hoc Antichristi negotio tantam tamque conspirantem Patrum consensionem huc refers, quod præiudicata vetustatis auctoritas, & magnorum nominum commendatio fecit, ne intenderent mentis aciem ad ea dispicienda, quæ à maioribus suis acceperant. *Si oculos*, inquis, *vel paululum aperuissent homines, & suam quãcunq; iudicandi facultatem adhibuissent: resciissent optimè multa, quæ ab Antiquissimis scriptoribus de Antichristo asseruntur; de tam infirmis, tam nullis argumentis esse profecta; vt illa constare posset, non nisi ab impostoribus, & hæreticis inuenta esse, aut certè non nisi per summam negligentiam tantis ingeniis obrepere potuisse.* Atqui eadem sect. nec ita multò post, à tota Patrum gẽte dissentientem Hieronymum de Iacobi, & Hieremiæ vaticiniis facis. Qui si maiorum suorum auctoritatem nihil veritus est, cum ea vaticinia non ad Antichristum, sed ad Sampsonem, ac Nabuchodonosorem referret: non video cur traditionem illam, quod Antichristus ex Iudæis futurus esset, qua eum deceptum narras, nullo

etiam

etiam ſcripturarum fultam teſtimonio, tanti debuerit facere, ne à Patrib. diſſideret. Præcipuè quod ſi tibi credimus, *quod apud reliquos conſentaneum erat, & coniunctũ, ſeſſurum illum Hieroſolymis in Templo Iudæorum, improbauit, & in Eccleſia ſeſſurum interpretatus eſt.* Quanquam tu quidem, vt ſoles, mendacio locũ illuſtrás; cur enim non adnotaſti vbinam Beatus Hieronymus eam ſententiam improbat. Certè in commentariis in Matthæum cap. 24. in eam non obſcurè inclinat; in caput vndecimum Danielis non improbat. quæſt. vndecima ad Algaſiam, quem locum ſolent veſtri proferre, ſeſſurum eum ait vel in templo Hieroſolymitano, vel in Eccleſia, quod verius arbitratur, quibus verbis & ſi hoc magis probat; illud profectò non improbat: Sed redeamus vnde diſceſſimus. Quo ore affirmare audes homo impudentiſſime hoc de templo Hieroſolymitano apud reliquos conſentaneum eſſe, atque coniunctum cum Iudæorum vt tu vocas Antichriſto; cum ſect. 6. de Patribus ita ſcribas? *De Antichriſti ſede quàm variè loquuti ſunt? In templo Hieroſolymitano ſeſſurum ait Cyrillus, non in Eccleſia: Oecumenius verò in Eccleſia, non in templo Hieroſolymitano. Chryſoſtomus non ſolum in templo Hieroſolymitano, ſed etiam in Eccleſiis. Et tamen alibi dubitabilem eſſe ait interpretationem illam de templo Hieroſolymitano; quemadmodum etiam Auguſtino incertum eſt, vtrum in templo illo; an in Eccleſia dicendũ ſit.* Quæ omnia eo ſcribis, vt probes, nihil illis de Antichriſto certum, nihil exploratũ fuiſſe. Qua autẽ ratione apud reliquos, ſi Hieronymũ excipias conſentaneũ hoc eſſe potuit, cumq; Antichriſti ex Iudæis origine neceſſario coniunctum; ſi cum de illa nemo dubitauerit,

rit, hoc tam fuit inter Patres incertum? Denique si tam variæ sunt Patrum de Antichristo, repugnantesq; sententiæ, *quas siue falsas confingunt, siuè veras coniectant, dum alij aliorum traditionibus acquiescere non possunt: vt palam ostendant, nihil illis de Antichristo certum, nihil exploratum fuisse* (hæc enim verba tua sunt sect. illa sexta) Qua tandem ratione defendes tuum illud 5. sectionis initium, *Quæ de superstitiosa antiquitatis veneratione, ac desperatione quicquam melius afferendi sectionibus superioribus dixeras, ea in hoc Antichristi negotio, vt in vna re aliqua maximè contigisse. Vt si oculos vel paululum aperuissent homines, & suam quamcunq; iudicandi facultatem adhibuissent; resciturì fuerint multa, quæ ab antiquissimis scriptoribus de Antichristo asseruntur, de tam infirmis, tam nullis argumentis esse profecta; vt illa constare posset, non nisi ab impostoribus, & hæreticis inuenta esse, aut certè non nisi per summam negligentiam tantis ingeniis obrepere potuisse.* An tibi tantam illam iudicandi vim, quantam ne tu quidem in Patribus fuisse negas, adhibuisse non videntur ij, qui quæ à maioribus acceperunt, partim probant, partim reiiciunt? aut oscitantes, negligentesq; ea tractare, quæ tam accuratè discutiunt? Vbi nunc ille magnorum nominum fulgor, atque importuna veneratio vetustatis? quæ ità posteriorum præstrinxit acies vt oculos contra tollere nō auderent. Religio scilicet antiquæ opinionis, aut afferendi meliora desperatio ceteros ab eo studio, diligentiaque deterruit, ne reliqua ad amussim veritatis exigerent; qui tam multa, si vera memoras, à maioribus tradita repudiarunt, cum alij aliorum traditionibus acquiescere non possent. Viderunt præstantissimi illi viri nonnulla à maioribus suis, aut ità firmis è verbo Dei rationi-

rationibus comprobata; aut tanta Ecclesiæ consensione iam inde ab initio recepta esse; vt dubitare non possent, quin ea ad fidem Catholicam, ac traditiones Apostolicas pertinerent; eaque non stolida quadam admiratione vetustatis, aut inani commendatione magnorum nominum inducti; sed adducti religione fidei, sine vlla controuersia susceperunt. Alia contra cum in opinione posita, & probabilibus innixa coniecturis, non certis comprehensa rationibus animaduerterent: ita, si quid secus videretur, ab eorum placitis sententiaque discesserunt; vt de sua in eos obseruantia nihil remitterent. fuit alterum religiosę fidei, alterum modestæ libertatis, vtrunque sapientiæ Christianæ.

Quæ cum ità sint prior, eaque potior disputationis tuæ pars non modo labefactata; sed euersa funditus est, Nam vt repudiata Patrum auctoritate ad libidinem tuam scripturas interpretari liberè posses; calumniatus es Irenæum Papiæ testimonio, Papiam ipsum hæreticorũ deliriis, somniisque deceptum ea narraſſe, quæ consequentium sæculorum scriptores superstitiosa quadam antiquitatis veneratione potius quam iudicio suo adducti probauerunt. At hæc partim sine vllo fundamento à te iactata, partim vero etiam, quæ tua Constantia est, à te ipso confutata esse docuimus. Addidisti etiam, vt Patrum existimationem imminueres, ex importuna maiorum veneratione natas in Ecclesia hæreses nonnunquam, & corroboratas fuisse; idque Prosperi atque Hilarij testimoniis confirmare voluisti. At ea in re falsarium te esse obsignatis tabulis demonstrauimus. Augustinum citare ausus es, à quo *aduersus Patrum nunc singulorum, nunc omnium simul testimonia apertissimas exceptiones interpositas* diceres. At ne hic quidem falsi crimẽ

L effuge-

effugere potuisti. Patrum inter se dissentientium de Antichristo pugnam neque conspirans iudicium obiecisti, quo loco non solum ita mentitus es, vt tuo te mendacio iugulares; sed ineptè etiam, ac pueriliter argumentatus es; cum ex eo colligeres, nihil apud Patres certum, nihil exploratum de Antichristo fuisse, quod iis quibusdam in rebus non planè de eo conueniret. Scripturarum denique iudicium appellasti, quod eæ certam, neque fallentem veritatem contineant; cum Patrum quãuis doctæ atque eruditæ; quia tamen humanæ sunt literæ, eo periculo planè immunes non sint. Id quoque apertissimè à nobis confutatum est. quod, si sacrarum litterarum tam apta est, ac plana sententia; vt in ea elicienda errare non possit humanum ingenium: ne Patres quidem errauerint. Sin obscura, atque recondita; periculum illud errandi, quod tantopere reformidas, euasurus non sis. Cui enim sano homini persuadere poteris; si illos tanto ingenio, ac sapientia præditos potuit vera scripturarum intelligentia fallere; te falli in earum interpretatione non posse? Non fugimus igitur errandi periculum; sed, si quod illud est, tua ista prouocatione in deterius commutamus. Neque ad scripturas à Patribus; sed ad tuum, à Patrum iudicio de germana sacrarum litterarum sententia prouocas; quare deliras Physignathe, si quenquam tam amentem futurum credis; qui te, quam illos malit audire. Nam vestrum illud frigidum perfugium, quo tu quoque in hac disputatione vteris; quæ in vno scripturæ loco dicuntur obscurius, ea in alio clarius explicari; ob eamq; rem locorũ collatione posse veritatẽ facile reperiri: tu tibi in hac de Antichristo tractatione præclusisti. Qui enim potes exceptione hac vti? qui docueris, ne ab Apostolorum quidem

dem

dem discipulis potuisse ea intelligi, quæ de Antichristo in sacris litteris tradebantur, quod prophetiæ tenebris atque inuolucris clausa, peruestigari non possent. quique temeritatis eos argueris, qui de rebus obscurissimis quicquam certi pronunciare tanto ante ausi sunt. Quare nisi ipsum scripturarum conditorem Spiritum sanctum interpretem adhibeas humanis coniecturis, ac rationibus, quæ tamen in naturalibus etiam rebus nonnunquam cæcutiunt; totam hanc controuersiam permittis. Ad Spiritum porrò postquam, more vestro, cõfugeris; inquiram abs te Physignathe, Patres ne omnes simul, viros sanctissimos, ac sapientissimos, atque ipsam adeò Ecclesiam, cui is promissus est, apud eum in æternum mansurus, destituerit: te hominem nequam, ac perditum afflauerit Spiritus sanctus? Videbo libenter os istud importunum, & ferreum, cum quasi iure tuo contendes, vti tibi de tuo spiritu fides habeatur; nõ item Ecclesiæ, Patribusque de suo. Ceterum quando altero iam pede debilitatus es: excede de prælio, ac paludem, si sapis, repete Physignathe. Virorum hæc sunt; non ranarum, muriumque certamina. Neque si loquacitate, ac mendacio præstas; ideò etiam causa, ac rationibus superior es. Quantumlibet rumpare clamando, nunquam efficies, vt apud eos, qui Christianos modo se dici volunt, Patrum auctoritas penitus obsolescat.

9.
Neque verò in primo capite, atque in Patrum tantum scriptis, ac veteri historia peruertenda, sed toto opere, atque omni scriptorum genere proferendo, veterator, ac sui similis est Physignathus; vt nullo negotio Caluiniani Euangelij buccinatorem possis agnoscere. Non ero in eo genere longior, ne dum totum eius vo- *Abbat. in reliquo opere nihilo fidelior est.*

lumen exſcribo; lectores imposturis perditi hominis onerem. Exempli gratia nonnulla ſubiiciam; cetetorũ coniecturam ex his lector capiat.

Capite 10. ſect. 3. vt Pontificis cauſam inuidioſam multitudini reddat, peſſimi cuiusque Romani imperatoris dicta, factaque comparat cum Pontificiis: Sed ita tamen, vt quia vera exempla reperire non poterat, falſa ipſe, ac commentitia ſupponat. *Domitianus*, inquit, *de ſe dici voluit, Dominus, & Deus noſter ſic fieri iubet. & pariter de Romano Pontifice dictum eſt credere Dominum Deum noſtrum Papam ſic non potuiſſe ſtatuere, prout ſtatuit; hæreticum cenſetur.* atque adnotat ad marginem extrauag. Ioan. 22. cap. cum inter in gloſſa ſub finem. Quo loco ineptus calumniator eſt, qui typographorum etiam errata, mendaque, quæ vel inſcitia, vel incuria nonnullorum in libros noſtros irrepſerunt, nobis obiiciat. Sunt nonnulli codices, qui hoc habeant: ac ſunt etiam, qui non habeant. conſule codices Lugdunenſes anni 1553. apud Hugonem à Porta. & Anton. Vincentij impreſſos: Pariſienſes apud Ioannem De homine ſub ſigno Vnicornis 1549: Venetos ſub ſigno Pij Quinti Papæ 1582. omnes in Quarto folio, ineptias iſtas profecto ibi nullas inuenies: ſic enim leges, *Credere autem dominum noſtrum Papam, conditorem, &c.* Sed Abbatus, vt nullum alium, quem erraticum neſcio quem Deum agnoſcit; ita ne opem quidem aliunde implorare potuit. Quanquam, ſi ita inſaniret vnus quiſpiam iuris interpres, vt iſta diceret: quæ tandem eſſet ea in re Pontificis ipſius culpa; qui nunquam eius inſaniam probauiſſet? aut quid haberet ſimile cum Domitiani facto, qui Deum dici ſe voluit? Eam ob rem, quia ſimplici calumnia impietas tanta contenta eſſe non potuit, ſubiicit alteram

non

non diſſimilem: *Et ipſe*, inquit, *Dei nomen, tanquam à Conſtantino impoſitum, impudenter aſſumit.* Locum adnotat diſt. 96. cap. ſatis euidenter. At primum quidem Canon ille non de Romano, ſed de omni prorſus Pontifice loquitur; atque, vt ex poſtremis eius verbis planum eſt, in cauſa Beati Ignatij Conſtantinopolitani Epiſcopi cōditus eſt; quem Imperator mouerat Epiſcopatu. Deinde eam appellationem ſibi, ſuisque collegis non arrogat eo Canone Pontifex; ſed ex Conſtantini elogio colligit ſacerdotij dignitatem: quod ità ſupra humanum omne faſtigium Deus extulerit; vt in eius dignitatem intuenti ſapientiſſimo Principi dignum tam honorifica appellatione ſit viſum. *Satis*, inquit, *euidenter oſtenditur à ſaculari poteſtate nec ſolui poſſe Pontificem, nec ligari; quem Conſtat à pio principe Conſtantino, quem longe ſuperius memorauimus, Deum appellatum, Cum nec poſſe Deum ab hominibus iudicari, manifeſtum ſit.* Cuius argumenti, ſi neſcis, ea vis eſt. Deus ab hominibus iudicari non poteſt. at tanta eſt ſacerdotij dignitas, vt ſi cum ceteris hominibus Epiſcopus conferatur, Conſtantini iudicio, Deus dicendus ſit. Non poteſt igitur Epiſcopus à ceteris hominibus iudicari. Quod vt intelligas planius, audi Gregorium Magnum lib. 4. Regiſtri Epiſtola 75. ad Mauritium. *Eccleſiaſtica*, inquit, *teſtatur hiſtoria, quia cum piæ memoriæ Conſtantino Principi in ſcripto oblatæ accuſationes contra Epiſcopos fuiſſent: libellos quidem accuſationis accepit, & eoſdem, qui accuſati fuerant Epiſcopos conuocans, in eorum conſpectu libellos, quos acceperat incendit dicens. Vos dij eſtis, à vero Deo conſtituti, ite & inter vos cauſas veſtras diſcutite. quia dignum non eſt, vt nos iudicemus Deos.* Id quod Beatus Hieronymus à Chriſto Domino tributum docet Apoſtolis Matth. 16. *Prudens lector attende*, inquit, *quod*

ex consequentibus textuq́ sermonis, Apostoli nequaquam homines; sed Dij appellantur. illis quia homines sunt, humana opinantibus; vos qui dij estis, quem me esse existimatis? quod si testem Hieronymo etiam locupletiorem desideras, audi Spiritum ipsum sanctum Exodi. 22. *Si latet fur,* inquit, *dominus domus applicabitur ad Deos, & iurabit, quod non extenderit manum ad rem proximi sui ad perpetrandam fraudem tam in boue, quàm in asino, & oue, ac vestimento, & quicquid damnum inferre potest. ad Deos vtriusq́ causa perueniet; & si illi iudicauerint, duplum restituet proximo suo.* quo loco vt Beatus Gregorius in ea ad Mauritium Epistola notat, Moyses Deos sacerdotes appellat. Denique audi Christi ipsius oraculum, Dauidicum illud interpretantis: *Ego dixi Dij estis,* Ioan. 10. *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est.* Quid igitur mirum, si monet Imperatorem Pontifex ne eos iudicare audeat; quos nõ Constantinus, sed Deus ipse tanto supra humanum fastigium extulit; vt communis nominis prærogatiua dignatus sit. Nam alioqui vbi voces illæ, quas tu tuis imposturis vsurpari in eo Canone significas? Ego Deus, nos Dij, aut simile quippiam? Sed ad reliqua. *Caligulæ,* inquis, *vox erat, qua auiam suam Antoniam monentem repulit; memento mihi omnia, & in omnes licere. Et Antoninus Bassianus priuigni responsum inuitantis illum ad stuprum, cupidè amplexus est; si libet licet: an nescis te imperatorem esse, Cuius est leges dare, non accipere? Ita quoque Romanis Pontificibus persuasum est ab assentatoribus suis, quod omnia possent, & quod liceret illis quicquid liberet; etiam alioqui illicita.* Testem huius insaniæ profers librum in Romanam Ecclesiam, maledictis, calumniis, mendaciisque plenissimum; quem quia aliis testibus veritas Euangelij vestri non nititur, Catalogum inscripsistis testium veritatis.

Cuius

Cuius me auctoritas non magis mouet, quam veteres Christianos mouerint commentitia illa acta Pilati, in odium fidei ab Ethnicis olim composita. Addis deinde ex decret. Gregorij de translat. Epist. cap. quanto in Glossa *Illis* (Rom. Pontificibus) *voluntatem esse pro ratione.* Quem locum si integrum attulisses, calumnia tua penitus euanuisset. *In iis,* inquit, *quæ vult, est ei pro ratione voluntas.* instit. de Iure Naturali §. Sed & quod Principi placuit. Vbi vides eo modo ab eo iuris interprete verba hæc accipi; quo institutionibus de iure naturali intelligit Iustinianus, cum §. sed & quod Principi scribit, quod Principi placuit legis habere vigorem. Quanquam enim non sine ratione aliqua leges condũtur à Principe: ea tamen non eiusmodi est, vt legis vim habeat nisi Principis voluntas accesserit. Cum lex naturalis etiam sine cuiusquàm imperio sola ratione contineatur. quam etiam ob rem rationem summam, insitam in natura, quæ iubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Libr. primo de legibus eam definiuit M. Tullius. quo fit, vt voluntas Principis eum necessitatis imponendæ in humana lege locum obtineat; quẽ ratio habet in naturali. Id quod acutè atque eruditè Põtificij iuris interpres expressit; cum eorum, penes quos summum imperium est, voluntatem pro ratione dixit esse. Cuius tu verba, more nimirum vestro, trunca, ac mutila protulisti; vt imperitis tyrannicum illud sonarent; quod tamen in Epistolas Pauli licere sibi Lutherus voluit. Sed reliqua videamus. Pergis. Posse illos iudicare omnes; & posse à nemine iudicari; atque adscribis Extrauag. de maioritate, & obedientia cap. vnam sanctam, in Glossa. quod equidem non inficior; sed abs te scire peruelim; quid tandem caussæ fuerit, quod cum expo-

expoſitionis eius auctor diſertè docuerit, fraternè à viro quolibet ſapiēte, ac bono iudicari, & corrigi quemlibet mortalium poſſe; ipſum quia nihil reprehenſione dignum admittat, à nemine iudicari; auctoritatiuè autem vnum eſſe Romanum Pontificem, qui cum omnes iudicet, à nemine ipſe iudicetur; hæc inquam cum ille apertè docuerit; abs te ſcire peruelim, cur eam eius diſtinctionem omiſeris; alteram partem alterius præſidio deſtitutam, vt elatum neſcio quid, atque arrogans præ ſe ferret, attuleris. nimirum frigeret calumnia, ſi locum integrum protuliſſes. Nam fraterne à ſapiente, ac probo viro corrigi, ſi quando deliquerit, etiam Romanus Pontifex poteſt; idque & ab Apoſtolo Paulo Antiochiæ olim vſurpatum, qua par erat æquitate animi Petrus tulit: neque nunc eius ſucceſſores abnuunt. Cum enim errare poſſis, corrigi vel non poſſe, vel nolle; eſſet aut extremæ miſeriæ, aut dementis ſuperbię. Porro cur moleſtè feratis Romanum Pontificem auctoritatiuè à nemine, niſi forte in cauſa fidei, iudicari: non video; cum vos nullam legitimi iudicij, ne Conciliorum quidem, auctoritatem in Eccleſia admittatis. ac nemo veſtrum ſit tam nequam, qui non iudicare omnia, ipſe à nemine iudicari velit; quod ſpiritualem eſſe ſe, atq; ſpiritu Dei duci, glorietur. Quem mortalium non iudicare; à quo vnquàm iudicari Lutherus voluit? Zvvinglius num Lutheri vnquam iudicio ſtare, aut ab eo iudicando tēperare ſibi potuit? Caluinus nonne omnium iudicem ſe ipſe conſtituit iudicia omnium hominum aſpernatus? & miramini, ſi id ſummo Eccleſiæ Paſtori cum tota antiquitate tribuimus: quod vos Euangelij veſtri miniſtris hominum quiſquiliis nouo exemplo tribuitis?

Obiicis

Obiicis etiam illud ex glossa extrauag. Ioan. 22. cap. ad Apostolatus; *quod Romano Pontifici licet pro arbitrio animi sui aliorum acta, vel rescindere, vel approbare.* Quæ non interpretis verba; sed mēdacia tua sunt. Nihil enim in tota capitis eius expositione inuenies, quod horum verborum sententiam referat; nisi fortè illa calumniari velis; quæ tamen nunquam ita detorquebis vt ad eam sententiam transferas. *Licet inferiores Prælati iura vnius Ecclesiæ in aliam, sine certa solemnitate transferre nō possint: Papa tamen gaudens plenitudine potestatis, hoc facere potest, nec est, qui audeat dicere; Domine cur ita facis? Cum in iis quæ de iure sunt positiuo, possit pro libito super his dispensare.* Quid est in his verbis mendacio tuo simile? Nisi quo stupore es animi, idem esse existimas, aliorum acta rescindere, ac super iure positiuo dispensare. At tu alterum etiam addis ex Glossa Decretal. Gregorij de foro competenti cap. licet. 2. & de appellationibus cap. Vt debitus. Quod iis locis appellari Pontificem ab interprete dicis, Vnum omnium hominum ordinarium: quibus in verbis vox illa vnum de tuo addita est. quæ quanquam veram interpretationē habere potest, cum Christiani omnes Catholici fateamur, vnum esse summum Ecclesiæ Pastorem, cuius fidei omnes omnino Christi oues commissæ sunt: fraude tamen hæc vocis huius adiectio vacare non potest; quorsum enim eam adiiceres, si nihil aliud significare velles, quā quod ipsa interpretis verba per se satis significarent? Animaduertisti nimirū ea vna vocula addita, ita verborum illorum sententiam peruertis; vt facilè existimari possit, abrogari à nobis omnē omnium Episcoporum ordinariam potestatem, eamq; in vnum Romanum Pontificem vniuersam conferri, vt præter illum nullus sit ordinarius in Ecclesia; qualia

multa mendaciſſimi homines ſpargere in Romanum Pontificem inuidioſiſſimè ſoletis. Quis tibi iam animal importunum, ac malignum impoſterum fidem habeat; cum tam paucis verſibus, ac propè verbis, tam multa mentitus; ſatis oſtenderis; nihil te aliud toto hoc opere, quam impoſturas, ac mendacia quoaxare?

10. *Propulſatur à Catholicis inprimiſq; à Cāpiano fraudis ſuſpicio.*

Et tu tantarum fraudum, mendaciorumq́ue conuictus, cap. 7. ſect. 2. accuſare nos audes, quod antiquioribus hæreticis (quos in veſtram familiā adſciſcere cupitis vniuerſos, ſcilicet vt vel ab ipſo Simone Mago veſtræ impietatis originem repetatis) opiniones non ſuas, ad illorum nomen commaculandum per calumniam obiecerimus. Quod non alio argumento probas, niſi quia, *conſuetudinem*, inquis, *Pontificia gentis non ignoramus; quibus pia fraus eſt, & zeli Catholici fructus eximius, figmentis ſuis, & calumniis Euangelio quo ad poſſunt fidem præcludere.* Magnum verò crimen Deus immortalis, quodq́ue ſi probare poſſis Abbate, cauſa cecidiſſe me fatear; quamuis eius te criminis toto hoc libro toties iam ante conuicerim, neq́ue quiſquam veſtrum ſcripſerit, cuius ſcripta calumniarum, ac fraudum plena à noſtris deprehenſa non fuerint. Foxius in Martyrologio quam multa mentitus ſit, Perſonij diligentia partim iam detexit; partim in poſterum deteget popularibus ſuis. Bellarminus ſingulis ferè diſputationibus impoſturas, ac mendacia Lutheri, Caluini, Philippi, Martyris, Kemnitij, aliorum huius notæ prophetarum, atq́ue Euangeliſtarum veſtrorum quaſi anteſignanos præmittit. Nos ipſi cum Lamberti Danæi non obſcuri nominis apud Geneuenſes miniſtri, temeritatem caſtigaremus, ad ducenta eius mendacia priore libro numerauimus. Nunc in Caluini inſtitutione, quæ præ manibus eſt, vix vllus occur-

occurrit locus, qui impostura, ac mendacio careat. Auctor est etiam Hieronymus Bolsek Hermes medicus Lugdunensis, Caluini olim discipulus, qui deinde conuersus ad fidem, res eius gestas mandauit litteris, cap. eius lib. 20. hoc iam tum fuisse dogma Geneuensium ministrorum, ad promouendam Dei gloriam (quæ scilicet imposturis, ac fraudibus vestris nititur) licere, atq; adeò interdum necesse esse mendaciis, ac fraudibus agere, quod vt facilè credam, facit perpetua vestræ gentis, & continuata consuetudo. Sed ego hæc tibi omnia Physignathe remittã; si probaueris, iisdem nos artibus vti in stabilienda fide, ac religione Christiana; quibus vos Euangelij vestri ruinas fulcire soliti estis. Vide igitur quid indicij, aut coniecturæ afferre possis; vt rem tantam vno verbo conficias. *Qui in hac luce*, inquis, *non verentur, Ecclesiis nostris, & doctoribus paradoxa & portenta dogmatum attribuere, quæ nobis ne somniantibus quidem, vnquam in mentem venerunt; quid ausuros fuisse putemus in illos, quos ita tenuerunt oppressos; vt purgare se de hæresi non possent?* atq; adscribis Campianum Rat. 8. Quod portenta, ac paradoxa dogmatum ea vocas, quæ ratione illa 8. vobis obiicit Beatissimus martyr: libenter accipio; quod ea falsò vobis tribui calumniaris; id verò more tuo facis. Scis ipse, aut scire certè potuisti, quo tempore aureus ille libellus vulgatus in Anglia est; fuisse, qui cum collatis diligenter vestrorum voluminibus cum iis, quæ à Campiano dicebantur, exquisitè respondere omnia comperisset: oblato libello supplici peteret ab Elisabeta (quam qui nullum præter Christum Eccle. cap. admittitis: tamẽ supremũ Ecclesiæ vestræ caput venerabamini) vt quando summam in Ecclesia potestatem obtineret, aut iis, quæ à Campiano doctoribus

vestris obiiceretur satisfaciendum curaret: aut potestatem faceret ab iis monstris ad veram Ecclesiam desciscendi; eamque rem diu, multumque agitatam: tandem desperatione afferendi quicquam, quod vel in speciem satisfaceret, à regio consilio esse supressam. Sed hæc ante trigesimum propè annum gesta, ex hominum memoria vetustate fortè deleta sunt: num Witackeri etiam responsionem vetustas obliterauit? iis igitur veluti tabulis tecum agam. Nam quæ Witackerus non abnuit; ea profectò vestra, vestrorumq; doctorum, aut sunt, iure aut censeri potuerunt ab aduersario, quæ ne patronus quidem negare ausus sit; quorum autem inuidiam veritus, negare videri voluit, ne multitudinis aures offenderet: ea si vestra esse docuero, tot te mendaciorum conuincam, quot in octaua illa egregij viri ratione vestra paradoxa numerantur. Cursim ea perstringam, tum quod ad alia propero, tum quod quidquid in hoc genere faciendum fuit, cumulatissimè præstitit Duræus noster in eo volumine, quod pro Campiano aduersus Witackerum scripsit.

Negat primo loco Witackerus, quenquam è vestris doctoribus affirmasse, Deum esse auctorem, & causam peccati, neque repugnare se ait, quin omnes horrendæ blasphemiæ, ac sceleris rei sitis: si in cuiusquam vestrũ litteris, hoc paradoxum inueniatur: *At, si te bis quinque, vel bis septem proferente, decem ego vel quatuordecim de dictis abs te colligerẽ; vel ex hoc animal rationis particeps mortale; hominem: num tibi nugari viderer? quonam hoc pacto, cum tua dicerem? non enim tam dicentis sunt hæc verba, quã proferre cogentis.* Licet enim mihi verbis iisdem vobiscum agere, quibus in re simili cum Macedonianis olim egit Gregorius Nazianzenus oratione de Spiritu sancto.

quid

quid enim intereſt auctorem ne facinoris Deum; an facinus opus eſſe Dei pronuncies? Qua de re Magiſtrorum tuorum licet mecum verba recognoſcas: quamuis (ſi credere dignum eſt) ea nuſquam legiſſe ſe meminerit Witackerus. Philippus Lutheri deliciæ, in caput 8. Epiſtolæ ad Romanos, *Sicut*, inquit, *fatemur proprium Dei opus fuiſſe Pauli vocationem: ita fatemur opera Dei propria eſſe, ſiuè quæ media vocantur, vt comedere, bibere* (quæ miror cur non in optimis Lutheri diſcipulus numerarit) *ſiuè quæ mala ſunt, vt Dauidis adulterium, Manilij ſeueritatem.* Satis ne tibi blaſphemaſſe viſus eſt? audi etiam deteriora: *Conſtat enim ex cap. primo ad Romanos, Deum omnia facere, non permiſſiuè, ſed potenter, vt Auguſtini verbo vtamur; id eſt, vt ſit eius propria Iudæ perditio, ſicut Pauli vocatio.* Ita nihilo plus in bonis operibus, quam in ſummis ſceleribus Deo tribuit, idque ea adductus ratione, quod vtraque in nobis ipſe potenter operetur. Ex quo etiam illud, non ita multò pòſt, colligit; *Ergo*, inquit, *non eſt cur frigidum illud gloſſema admittamus, Deum mala permittere, non etiam facere.* Satis ne luculenter docere tibi videtur Phyſignathe, malorum auctorem eſſe Deũ, is qui mala eum facere doceat? quæ cum neque negare poſſet, neque concedere auderet ab eo ſcripta Witackerus, inſcitiam excuſare maluit; cum diceret, neſcire ſeſe apud quem ea verba legiſſet Campianus. Sed Caluinum idolum veſtrum audiamus, cuius lib. primi Inſtitut. cap. 18. §. primo ea ſunt verba *Tergiuerſando effugiunt, Dei permiſſu, non etiam voluntate hoc fieri* (excæcari mentes hominum in malo) *ipſe verò palam ſe facere pronuncians, effugium illud repudiat.* & infra, *Abſalom inceſto coitu patris torum polluens, deteſtabile ſcelus perpetrat: Deus tamen hoc opus ſuum eſſe pronunciat: verba enim ſunt. Tu*

fecisti in occulto: ego verò palam faciam. Quid his dici potest apertius? Calumniari ne videtur tibi Campianus; qui quod à Deo fieri, atque opus eius esse clamatis: id à vobis in auctorẽ Deum referri doceat? Sed accipe alterum ex §. 3. vbi hac ipsa de rę loquens: *Iam satis ostendi;* inquit, *Deum vocari eorum omnium auctorem, quæ isti censores volunt ocioso tantum eius permissu contingere. Testatur se creare lucem & tenebras; formare bonum, & malum: nihil mali accidere, quod ipse non faciat.* Hæc tam luculenter à vestris doctoribus tradita, nostra ne figmenta, an vestra dogmata; nostræ calumniæ, an vestræ blasphemiæ sunt? quanto melius pudori, atque existimationi suæ consuluisset VVitackerus: si ad execrationem tam immanis blasphemiæ ingenuam veritatis confessionem adiecisset? Sed ille tam est præfricta fronte: vt in hoc genere nihil non audeat. Itaque ea etiam ipsa, quæ conceptis Caluini verbis Campianus adscripsit, inficiari hominẽ non puduit; negatque auctore Caluino, cum Christus in cruce clamaret, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? desperationis emisisse vocem: cum id in Harmonia, explicans cap. 27. Matth. totidem verbis Caluinus expresserit. cuius enim verba sunt VVitackere? *Absurdum videtur, Christo elapsam esse desperationis vocem. respondeo, facilem esse solutionem; hanc desperationem ex sensu carnis esse profectam.* Sed nimirum tantæ blasphemiæ pudor impudentem te fecit in negando. Iam adduci non potest, vt credat aut Campianum accepisse à Chenio, aut Chenium ipsum vera Campiano narrasse, cum diceret; actum in conuenticulo Londinensi, vt è symbolo apostolico descensus Christi ad inferos tolleretur; ne vestris hominibus negotium facesseret. Et tamen, vt timida est mendaci j conscientia, defendere

vt cun-

vtcunque eam insaniam, & colorem aliquem honesti rei turpissimæ inducere nititur. Num eam ob rem impostor tibi videbitur Campianus; quod VVitakero incredibilis ea vestrorum hominum temeritas videatur? aut VValdensis vir tantus, ac talis, qui VVicleffi ætate, eius hæreses diligentissimè confutauit, mendacij condemnabitur: quia VVitackerus VVicleffum adeò insanire potuisse non credit: vt peccata omnia paria serio fabularetur? Infringetque grauissimi scriptoris fidem, homuncionis, nescio cuius de re, quam non modo per se ipse scire, sed ne ab iis quidem, qui ipsi scirent audire potuit, temerè iactata suspicio? Quanquam non video cur auertere placiti eius inuidiam à VVicleffo tantopere nitatur: de suorum, quibus hoc in primis Campianus obiicit, ea in re insania nihil disputet. quasi verò si VVicleffo paradoxum hoc per calumniam VValdensis affinxit; nulla eorum culpa sit, quod sine exemplo insaniunt. Nam esse, qui Stoicum hoc delirium in Christianam disciplinam velint inuehere; in locis anni 54. titulo de peccatis actualibus, iis verbis Philippus etiam indicat. *Ac Stoicæ illæ disputationes execrandæ sunt, quas seruant aliqui: disputantes, omnnia peccata paria esse; Electos semper retinere Spiritum sanctum; etiam cum res atroces admittunt*, &c. Clamat VVitackerus, à Campiano iniuriā Caluino fieri, quod eum cum Illyrico numerat tum, cum adfert vestra de homine paradoxa. Neque enim docuisse Caluinum vnquam, deletam esse penitus in homine imaginem Dei, quo loco non Campianus Caluini; sed VVitackerus Campiani calumniator est. Id enim vnum Caluino tribuit vir egregius, quod vsque adeò Caluinianum est, vt ne à VVitackero quidem, negari potuerit. in homine etiam iusto, ni

ſto, nihil aliud eſſe intrinſecus, niſi meram corruptionem, atque contagionem; quanquam ille quidem, dũ hoc cõcedit, in Illyrici, ac ceterorum placitum imprudens relabitur. Quid enim diuinæ imaginis eſſe poteſt reliquum in eo; in quo ea ita corrupta, ac vitiata eſt, vt quicquid ſupereſt, horrenda ſit deformitas. nam in imagine quidem Dei, quo nihil poteſt eſſe formoſius (niſi ſi qua ex parte ab eo degenerat, quem imitatur) deformitas eſſe non poteſt. nihil igitur ſupereſt in homine, quod Dei pulchritudinem imitetur: cum quicquid ſupereſt nihil ſit, niſi horrenda deformitas. aut igitur Dei turpitudinem exprimit, quod reliquum eſt eius imaginis: aut, ſi in Deo deformitas nulla eſt, imago Dei planè deleta eſt. Pugnantia igitur ſcribit Caluinus, cum lib. primo Inſtitutionis, cap. 15. § 4. ita ſcribit. *Quare, & ſi demus non prorſus exinanitam, ac deletam fuiſſe in homine Dei imaginem: ſic tamen corrupta fuit: vt quicquid ſupereſt, horrenda ſit deformitas.* Quem Magiſtri ſui locum ne vnquam ab ingenio diſcedat, cum calumniæ Campianum accuſaret: mutilum protulit VVitackerus.

Quærit etiam ex viro fortiſſimo; vnde tandem colligere potuerit, ſuorum illud eſſe decretum: Chriſtum non alia ratione gratia plenum in ſcripturis memorati: quam quod ei mirum quendam in modum fauerit Pater. Reſponſio adſcripta ad marginem eſt. Collegit ex Bucero, cuius ea verba ſunt, in caput 2. Lucæ. *Gratiæ nomine, exiſtimo Euangeliſtam voluiſſe exprimere, quod Hebrais Chen, quæ omnino appoſitè Latinis gratia, qua nimirum quis fauorabilis, & gratioſus exiſtit. Sic multoties in ſcripturis legitur, ſi inueni gratiam in oculis tuis, pro eo, quod dicimus, ſi mihi apud te aliqua gratia eſt; ſi mihi faues. pro inde quod Chriſtum prædicat Euangeliſta plenum gratia, eo ſignificat*

ficat, ipsum per omnia diuinum adeò apparuisse, vt & Dei erga eum fauor egregiè declaretur, & omnium bonorum fauore simul iudicaretur dignissimus. Quid hoc loco aliud Bucerus intelligit, cum Dominus ab Euangelista plenus gratia dicitur; quam quod ei mirum in modum fauerit Pater?

Obiicit Luthero Campianus, quod docuerit Christianum etiam volentem non posse salutem perdere: nisi nolit credere. Negat VVitackerus, vt omnia Lutheri scripta euoluantur, hanc sententiam repertum iri. Adscripsit Campianus librum captiuitatis Babylonicæ. Magno VVitackerum labore liberauit euoluendi, legendique infinitas Lutheri nænias. Addo ego etiam ne legendo toto eo libello fatigetur, caput de baptismo, non longè ab initio, in quo nisi hæc verba reperiat mendacem Campianum, ac nos omnes, quotquot vestras blasphemias confutamus dici, haberiq; nihil moror. *Vides*, inquit, *quam diues sit homo Christianus, siuè baptizatus? qui etiam volens, non potest perdere salutem suam quantiscunque peccatis, nisi nolit credere.* Ea vna in re peccauit Campianus, quod duas illas voculas QVANTISCVNQVE PECCATIS. omisit, quibus Christiani hominis diuitias maximè Lutherus exaggerat. Neque enim satis homini perdito videbatur, si diceret, non posse Christianum etiam volentem salutē perdere; nisi eorū verborū adiectione acriores etiam faces admoueret ad facinus, atque ad flagitiū vehementius incitaret. Iam illud ridiculum est, quod ad voces controuersiam reuocat, vt Caluiniani de baptismo paradoxi inuidiam declinet. Vrget Campianus, à sectariis vim nullam ad salutem baptismo tribui; vt si habeas rectè, si careas nihil sit damni, rem negare VVitackerus non potest, ita-

N que

que conuertitur ad voces. *Non ita loquimur*, inquit, *vt fingis*. Non quæro qua ratione loquare; quid sentias abs te, audire velim. Estne quicquam damni si careas? quibus id verbis explices, non laboro, *tamen* inquit, *minimè putamus baptismum esse ad salutem ἁπλῶς necessarium; vt qui baptismo non fuerit initiatus; ei sit perpetuo pereundum*. Nullum igitur salutis est damnum, si careas. Sed fortasse damnum in eo ponis, quod quamuis absolutè necessarius non sit; adiumento tamen est suscipientibus ad salutem? Ne id quidem Caluinus patitur, qui in antidoto ad artic. primum Parisiensem. *Pij. Omnes*, inquit, *agnoscunt, baptismo opus habere infantes; non tanquam adiumento ad salutem necessario; sed tanquam sigillo, ad obsignandam illis promissionis gratiam*. Neque ita multò post. *Sufficit infantibus fidelium ad salutem sola promissio*. Benè igitur est si habeant, si careant nihil damni.

Non sine rubore Campianus recitat id, quo excucullatus ille vester ganeo Euangelij sui sanctitatem obsignauit. Si vxor nolit, aut non possit, veniat ancilla. Quod tantum Christianæ libertatis Euangelium quia inter suos, homines pudicos & graues, celeberrimum est; sibilum veritus si negaret, excusare conatur. At quam ineptè, atque frigidè? *Non hoc consilij*, inquit, *marito Lutherus dedit: vt mox ancillam sumeret*. O miseram defensionem, sumet igitur ancillam maritus; sed non statim: atque in eo coniugij vestri sanctitas, ac maritorum fides posita erit: quod tantisper expectabunt. qui si eas emollire blanditiis non poterunt; non est operæpretium in longum maritorum temperantiam protrahi. Itaque aduocetur ancilla. Turpe hoc etiam ipsum VVitackero visum est; Itaq; excusationem excogitauit quinto dignam Euangelio: *Dixit verò Lutherus*, inquit, *quando*

quando vxor pertinax, & obstinata induci nullo modo potest; vt debitum beneuolentiæ viro persoluat; eam repudiet, & in vicem Vasti Hester subroget. Quid tu, VVitackere? probasne hoc Lutheri Prophetæ, atque Euangelistæ tui tã iucundum Euangelium? *Lutheri*, inquit, *in hoc genere diuortij sententiam minimè defendo.* quo te cunque igitur vertas, ita explicari Lutherus non potest: vt defendi possit. Sed tamen, vide quam hæc ipsa tua tam misera excusatio aptari ad Lutherum non possit. Quorsum, vt significaret priore repudiata, vxorem alteram esse ducendam; ancillam arcessendam diceret? ad quam nemo vnquam accedit; nisi subita libidine furens. aut quis est hominum tam insanus, qui si vxore dimissa alteras nuptias cogitet: non pari nobilitate fœminam potius, quam ancillam ducendam putet? Scortari cum ancilla impuri, atque intemperantes homines nonnunquam solent: ancillam vxorem duci apud honestos monstri simile est. Quam VVitackeri frigidam responsionem, cum risum mouere cerneres Abbate, tu tuam tepidã addidisti; vt nauseam concitares. Docere Lutherum eo loco somnias, maritos, non vt ancillas re ipsa vocent: sed vt ea comminatione vxores ad reddendum debitũ inducant. Crederem, si vel VVitackero tuo excusare Lutheri impuritates maximè cupienti; ea interpretatio venisset in mentem, vel Lutheri verba quicquam sonarent huic interpretationi affine, neque inanes eæ minæ futuræ essent, si eæ tunc tantum, cum vxor non vult; non etiam tum iactarentur; cum vxor non potest. Nunc autem, cum neque eo iniecto metu vxor reddi possit aptior ad obeunda coniugij munera: neque quicquam sit in Lutheri verbis, quod interpretationem istam non modo expetat, sed etiam patiatur; & verò tam longe

petita, ac violenta ea ſit, vt viro ex veſtris non indoctiſſimo excuſationes quærenti in mentem venire nunquā potuerit: deſipis Abbate, ſi quenquam futurum putas, qui tibi de Luthero mentienti quam Luthero ipſi de ſe vera confitenti, quam omnium hominum cōſenſioni, qui ea verba nunquam aliter intellexerunt, malit credere.

Ne illud quidem negare potuit VVitackerus à Lutero ſcriptum eſſe, Deum noſtra opera non curare. Sed cum Epicureum placitum, non Chriſtiani hominis ſententia videretur: mollire durius eius dictum conatus pugnantia docuit. *Opera noſtra*, inquit, *curat Deus, eaq́ ſi recta ſunt, præmiis ornat: ſi contraria, pœnis digna iudicat.* Vtri igitur credendum eſt, Luthero ſua proferenti, an VVitackero Lutherum ad alia omnia deducenti? Recta vt opera Lutherus vlla eſſe dicat, cui nullum eſt opus hominis non infectum, atque corruptum? Nam ſi quod eſt opus re vera rectum, ac bonum hominis iuſtificati: cur illi meritum denegat? Deinde vt præmium vllum boni operis Lutherus agnoſcat qui diuinæ gratiæ detrahi putat, quicquid boni operi etiam ex gratia facto conceditur? At vbi præmium eſt (niſi ſi mala opera præmio affici VVitackero videntur) ibi meritum, ibi laus eſt operis boni; quæ à Lutheranis auribus non magis audiri poſſunt, quam à Chriſtianis blaſphemiæ. At meminiſſet ſaltem VVitackerus, ſe paulò antè ſcripſiſſe, in omni actione, quantumuis excellente, ineſſe aliquid, quod illam penitus corrumpat, Deoque odioſam reddat, & iſtas tamen penitus corruptas, ſibique odioſas actiones, quia rectæ ſunt, VVitackere Deus præmiis ornat? Qua igitur ratione veſtri conditorem Euangelij defendis? *Verum in nobis iuſtificandis*, inquit, *nullam omnino*

nino Dominus operum nostrorum rationem habet. Ne in augenda quidem iustitia? quid ni autem, si opera nostra recta, ac præmio digna sunt. Sed nimirum pugnantia conciliari, & cohærere non possunt.


Accedit pestis illa rerum publicarum, atque humanæ societatis pernicies, quam Luthero Campianus obiicit, VVitackerus non negat, neque enim potest, sed miserandum in modum excusat. *Christiani*, inquit, *liberi sunt à statutis hominum*; popularem verò doctrinam, quæque, vt prona sunt ad furiosam libertatem, multitudinis ingenia, secundis admodum concionibus audiatur. non reformidas hic vulgi iudicium, quod alia nō nulla inuoluere, ac dissimulare te coëgit VVitackere: licet liberè Epicureum hoc Euangelium prodere, effer aliquando vocem istam solatij plenam in vulgus. Sed tamen Principum aures quibus spiritu nostro in Euangelio Caluini, Anglicani ministri seruimus; id ferre non possunt. Quid igitur ages? *liberi sunt*, inquit, *Christiani, non vt nullis legibus obtemperent, sibiq; semper viuant.* non quæro VVitackere quid agant, non quæro vtrum legibus obtemperent. tu quoque multa agis, quia ita libet; non quia ita necesse sit. tenentur ne humanis legibus Christiani? non ita liberi sunt vt non obtemperent: Sed qua tandem ratione liberos eos pronuncias? *Vt conscientias mentesque suas*, inquit, *legum humanarum religione liberatas esse intelligant.* Igitur, quod quidem ad Deum spectat, si seruent benè est; sin minus nihil mali. Sed qui ne diuino quidem Decalogo, vobis auctoribus teneatur; quid mirum si legibus Principum non tenetur? Ita neque defendere suos, neque accusare nostros sine impostura & mendacio patroni noui Euangelij possunt.

11. *Abbatus in Historia parum fidelis.* Reliqua est historia, in qua neque diutius hærere, neque nihil planè dicere suscepti operis ratio patitur. in ea, qua fide versetur, illud indicio sit, quod quæ de Romanis Pontificibus commemorat, ea penè omnia iam ante ab Hæreticis obiecta, atque à nostris ita confutata sunt; vt ne vestigium quidem vllum iustæ suspicionis superesset. Videant qui volent Bellarminum tum cap. vltimo lib. 3. tum lib. 4. à cap. 8. ad 15. de Romano Pontifice. Quibus Abbatus si minus satisfactum esse existimabat; nostrorum responsiones rationibus conuellere debuit. Si nihil habebat; quod contra diceret; qua ratione falsi crimen effugiet, qui quas fabulas esse, iam sciret; eas pro veris historiis imperitis obtrudit? Iam illud etiam in hoc genere turpius, quod ne his quidem ipsis integris vtitur. Gregorium septimum Romanum Pontificem ex Benone homine schismatico, eique Pontifici inimicissimo Simoniæ, homicidij, necromantiæ, adulterij, iniustè excommunicati Imperatoris Henrici, accusat; qua autem aut religione schismaticus, aut beneuolentia inimicus, aut veritatis studio assentator Imperatoris, à mendacio deterreretur. Sed ego, vide quàm liberaliter tecum, ac non malignè agam; non eleuo inimici scriptoris fidem, integram modo accusationem eius proferas, neque mutilo vtare eius testimonio. Optionem tibi do suspectæ ne fidei, an minimè dubiæ esse velis Benonis historiã. Nam si titubat; cur nobis eius testimonium obiicis, cuius tu idem fidem suspectam habeas? Si vacat suspicione fraudis: profecto abominatus ille Gregorius, Dei pariter odium & hominum, vester fuit. Nam eodem Benone teste Berengarianam, hoc est, Sacramentariam, hæresim coluit. Hoc illi item vt cetera ea scelera apud VVespergensem

gensem quoque tribuit conciliabulum id, quod Henrico auctore contra Gregorium coactum est. Qua enim ratione aut Sacramentarius non omni scelere inquinatissimus; aut tam sceleratus homo, non Sacramentarius fingi posset? At tu, qui VVespergensis testimonio non semel contra Gregorium vteris; cur aut totám accusationem, aut defensionem non adscripsisti? is enim post commemoratam Conciliabuli eius sententiam, subiicit Anselmi Lucensis Episcopi ad VVibertũ, qui in eo Conciliabulo Gregorio fuerat subrogatus, Epistolam in hæc verba. *Vt de Beatissimo Gregorio Patre nostro dicam, quod de Cornelio scripsit B. Cyprianus, factus est Episcopus de Dei, & Christi eius iudicio, de Clericorum penè omnium, & vt verius dicam omnino omnium testimonio, de plebis, quæ tunc aderat, suffragio; de sacerdotum antiquorum, & virorum bonorum collegio, cum nemo ante se factus esset, cum Alexandri locus, id est, locus Petri, & gradus sacerdotalis Cathedræ vacaret. quo occupato, & de Dei voluntate, atq; omnium nostrum consensu ordinato; quisquis iam Episcopus voluerit fieri foris fiat necesse est.* Habes Anselmi de Gregorio iudicium; audi VVespergensis ipsius de Anselmi iudicio, deque Anselmo ipso iudicium. *Hac priori sententia valde contraria*, inquit, *scripsit Anselmus Episcopus, vir literis apprimè eruditus, ingenio acutissimus, facundia præcipuus, & quod omnibus maius est, in Dei timore, & sancta conuersatione nominatissimus, adeò vt tam in vita, quam post mortem referatur miraculis clarus.* Hæc ideò adscripsi, vt habeant lectores Abbatianæ fidei in historia specimen: ac statuant apud se, quantum cænosæ ac lutulentæ bestiolæ, quæ lacunæ suæ sordibus inquinare omnia nititur, de rebus grauissimis disputanti credere vel possint, vel debeant. Sed nos tandem aliquando ad scriptu-

ſcripturarum diſceptationem veniamus. Neque enim ideò in Patrum auctoritate defendenda, atque hominis perditi calumniis detegendis tandiù hæſimus quod etiam eo auxilio, quamuis alioqui firmiſſimo, deſtituti quicquam noſtræ cauſæ timeremus. Inconcuſſa enim ſtat ea veritas, quæ eius teſtimonio nititur; cuius verbo cæli firmati ſunt. Sed caſtiganda fuit hominis improbi furioſa temeritas; neque ferendum, vt impunè nobis audientibus ſentinam illam impietatis, quam impuro pectore continebat, animal importunum euomeret.





O ANDREAE




ANDREAE EVDAEMON IOANNIS CYDONII E SOCIETATE IESV.

ADVERSVS ROBERTI ABBATI OXONIENSIS DE ANTICHRISTO,

SOPHISMATA DISPVTATIONIS LIBER SECVNDVS,

QVO EÆ IN PRIMIS SCRIPTVRAE PERPENDVNTVR QVAS CAPITE 2. PROfert Abbatus.

1. *Ratio disputandi in hac scripturarum disceptatione seruanda.*



IVINARVM literarum, hoc est, ipsum veritatis tribunal adeundum est. Videro lucifugæ isti qui splendorem tantæ maiestatis ferant. videro, quo deinde prouocent; quas exceptiones afferant; quid contra expressam Dei veritatem moliantur. Patres seponi placuit; seponantur: Ecclesiam

clesiam non audiri; non audiatur; vnas scripturas consuli; consulantur. Earum iudicio stari; stetur. Non veremur ne contra Ecclesiam, quæ firmamentum est, & columna veritatis, scripturæ pronuncient. Ego verò ita causæ confido, vt etiam ab aduersariis conditiones disceptationis accipiam. Imponant iudicij morem hostes omnium teterrimi Lutherus, atque Caluinus; accedat etiam, quando eius nugas confutamus, Abbatus. Statuant ipsi, qua ratione scripturas interpretemur: Quantum in hoc iudicio Patribus; quantum consensioni Ecclesiæ tribuendum sit; ne transuersum quidem vnguem à præscripto discedam. stent modo ipsi suis conditionibus; & quas disputationis leges tulerint; seruent in hac controuersia. Lutheri ea vox est in captiuitate Babylonica cap. de Sacramento panis. *Verbis diuinis non est vlla facienda vis neq; per hominem, neque per Angelum; sed, quantum fieri potest, in simplicissima significatione seruanda sunt, & nisi manifesta circumstantia cogat, extra grammaticam, & propriam accipienda non sunt; ne detur aduersariis occasio. vniuersam scripturam eludendi. Quo consilio rectè Origenes olim repudiatus est: quod ligna, & omnia, quæ de Paradiso scribuntur, grammatica loquutione contempta, in allegorias vertit.* Hunc seruemus tota hac disputatione interpretandæ scripturæ morem: vt quam in partem propriè accepta verborum significatio, atque, vt ait Lutherus, grammatica inclinat; ab ea stare veritas existimetur, nisi manifesta circumstantia cogat alias interpretationes moliri. Huic illa duo consequentia sunt; neque necessario effici si quibus vocibus impropriè, atque ad aliam significationem traductis vsus est aliquando Spiritus sanctus: eas aliis quoque in locis ad metaphoras, troposque reuocari continuò debere; si vim potestatẽ

que suam retinere non incommodè possint. Quod si quando propriam significationem verborum series ipsa, textusque sermonis non ferat: eam demum interpretationem optimam esse, quæ cum incommodis vacet, quam minimum à propria acceptione dissentiat. In commoda porro, quæ nos à genuina verborum significatione ad tropos, atque ad allegorias deducant, eiusmodi esse debere; quæ & incommoda esse constet; neque verò alia ratione vitari possint. Neque enim aut manifesta erit circumstantia, quæ cogit à propria verborum significatione discedere, si incommoda ea esse nō constet: aut cogere dici potest, quę potest aliqua ratione vitari. Habemus à Luthero interpretandæ scripturæ normam: quantum consensioni, iudicioque Ecclesiæ tribuendum sit, accipiamus à Caluino; qui vt liberam habeat licentiam blasphemandi; nihilo plus illi tribuet; quam quantum negare extremæ impudentiæ hominem pudeat. Sed istuc tamen quantuluncumque est, ab illo accipiamus. Is libro 4. Institutionis cap. 9. §. 8. ita de conciliorum auctoritate scribit. *Quoties concilij alicuius decretum profertur; expendi primum diligenter velim, quo tempore habitum sit, qua de causa habitum, & quo consilio, & quales homines interfuerint: deinde illud ipsum de quo agitur, ad scripturæ amussim examinari idq́; in eum modum, vt Concilij definitio suum pondus habeat; sitque instar præiudicij, neq; tamen examen, quod dixi, impediat.* Qua re cum Conciliorum auctoritatem, non vt Catholici ex diuina promissione; sed ex præstantium eruditione, ac sanctitate virorum, atque ex temporum, quibus celebrata sunt, bonitate petat Caluinus; Patrum aut omnium, aut plurimorum consensioni nihilo minorem, maiorem etiam, si constare sibi velit, vim præiudicij necessario

tribuet.

tribuet. Nam neq; vnum in locum tam multi vnquam præstantes viri conuenere; neque vna ætas tam multorum tanti nominis ingeniorum ferax vnquam fuit; neq; vlla meliora fuerunt Ecclesiæ tempora; quam quibus illi floruerunt. Et verò ea incommoda longè absunt, quibus conuentus hominum immunes esse vix possunt. Certè nullum inter eos esse potest victoriæ, atque ostẽtationis studium, nulla gratia, nulla potentia, nulla turbarum ac seditionum opportunitas, nullum periculum, ne vincantur à multis deterioribus meliores, in quorum deinde sententiam conuentus totius nomine decretum scribatur. Ex quibus illud efficitur, nisi diuino aliquo testimonio, eoque minimè dubio, tantorum virorum iudicium reuincatur; ratum fixumque haberi oportere, quod illi decreuerint: neque posse sine insigni temeritatis, atque arrogantiæ nota, quenquam ab eo resilire, quod lectissimorum omnium gentium, atque omnium ætatum ingeniorum conspiratio sanxerit. Abbatus, id quod libro etiam superiore notauimus, grande momentum ad scripturarum intelligentiam in patrum litteris esse docet; sed ita tamen, vt indices sint, atque ancillæ scripturarum; non iudices, qui sententiæ necessitatem imponant; vt si in scripturis ea inueniri non possint, quæ Patres indicant; liberum sit ab eorum opinione discedere. Ne id quidem in præsentia abnuo: sed ita tamen, vt si nihil afferre potuerit, quod eorum interpretationem labefactet; si inanes omnes eius rationes esse constiterit: momentum illud grande, quod in Patrum litteris ad scripturarum intelligentiam esse fatetur; pondus suum habere patiatur, meliorque interpretatio censeatur ea: quam perpetuus tot sæculorum, ac summorum ingeniorum consensus probauerit. Hæc

tichristi vocabulo propriè significetur; Sit ne Antichristus certa ac singularis persona. Et quod tandem sit mysticum Antichristi nomen. Primam capite primo, secundo alteram, tertiam decimo libri tertij de Romano Pontifice prosequitur Bellarminus. Quas tamen omnes vnico capite permiscet Abbatus, vt quæstionum confusione tenebras offundat lectorum ingeniis. Lucem enim perspicuitatis dogmata tenebricosa nō sustinent. Nos eo ordine de singulis disputabimus, quo ab Abbato tractantur: quantum quidem ad scripturarum intelligentiam pertinet.

Antichristi vocabulum in sacris litteris non nisi apud Ioannem in Epistolis, reperitur; ter epistolæ primæ secundo capite, semel cap. 4. semel item in secunda Epistola. De cuius vocis significatione duo docet Abbatus sectione prima secundi capitis. Alterum eo nomine Christi quidem aduersarium intelligi: Sed tectum tamen, ac simulatum. Alterum posse ea voce Christi Vicariū aptè significari ineruditus æquè grammaticus, ac ridiculus dialecticus. Nos Patrum auctoritatem sequuti, neque aliam vocis huius significationem agnoscimus: neque verò ad occultos tantum Christi aduersarios eam restringimus; quamuis eos quoque ea voce interdum significari non dubitemus. Nam si vim, atq; interpretationem nominis huius attendas, ita Christi aduersarium græcè significat: vt non minus apertos, quam latentes hostes amplectatur. quare nisi primus huius nominis auctor aliquid addiderit, quo ad latentes tantum aduersarios ea vox referatur: non est cur à maiorum nostrorum sensu, atque ipsa vocabuli etymologia discedamus. Non addidisse autem vel illud argumento est, quod magnum illum Antichristum à quo

3. *De significatione nominis Antichristi.*


quo vt fonte ea nuncupatio in minores alios deriuatur: tota antiquitas apertum futurum Christi hostem existimauit; neque quicquam in Epistolis Ioannis inuenisse sibi visa est; quod angustiorem huius vocis significationem redderet. Ego verò addo etiam illud in Beati Ioannis Epistolis satis innui amplam hanc, lateque patentem huius nominis significationem. Nam cap. 2. Epistolæ primæ ad omnes eos hoc nomen accommodat, qui negant, Iesum esse Christum, quique negant Patrē, & Filium. id quod verbis non nihil immutatis quarto capite repetit. *Omnis spiritus* inquit, *qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus.* At nisi quid secus pro tua tibi sapientia videtur Abbate, non minus Ethnici atque Iudæi, quam hæretici, ad quos tu vnos hoc nomē referre niteris, Patrem negant & filium, iidemq; Iesum non esse Christum, obstinatè defendunt. At enim Ioannes Antichristos vocauit non hostes extraneos, sed domesticos: qua re nominis huius hunc nobis vsum indicasse videtur.

Ego verò non video, quæ sit vis argumentationis tuæ. vocauerit enim sanè Ioannes Antichristos hæreticos, qui domestici hostes sunt, ideò ne nunquam hoc nomen nisi ad hostes domesticos retulisse dicendus est? cum disertè docuerit, omnem Spiritum, qui Iesum soluit, quique Patrem negat, & Filium Antichristum esse? apud quos hæc disputas? aut quibus hæc tua deliria probaturum te speras? An tu quia animalia ea plerunq; appellari consueuerunt, quæ ratione carent: ideò negaturus es, hominem animal esse? Notauit B. Ioannes eo nomine hæreticos, quasi insigni quadam ignominia, ex eoque Antichristos esse probauit, quod soluunt Iesum, quæ Antichristi notio est, ad omnes Christi aduersarios perti-

pertinens, siue ij apertas, siue occultas cum Christo exerceant inimicitias: tu ex eo colligis, ad intestinos tantum hostes eam appellationem referri? Dignam verò Caluiniana dialectica argumentationem. Addis etiam alteram non dissimilem rationem, præcessisse in minoribus Antichristis magni illius imaginem; eos porrò tectos Christiano nomine Ecclesiæ bellum intulisse: quare idem dicendum de eo videri, cuius imago in illis præuisa est. At vide quam sine fundamento sis impius. Nemo illorum, de quibus Ioannes scribit, in tota Ecclesia principatum obtinuit, nemo fuit Romanus Episcopus; igitur, si tua ista tam acuta conclusio quicquam valet, ne is quidem, qui in minoribus Antichristis tanquam in imagine præuisus est, Romanus Episcopus esse debuit, aut supremam sibi in Ecclesiâ potestatem vendicare: quod tu vnum tā multis conaris efficere. Quod si, vt his te laqueis exuas, dicturus es, non omnibus in rebus exquisitè sibi imaginem respondere debere atque id, quod imagine redditur: satis ostendis te, aut tam esse fatuum; vt non animaduertas eadem ratione solui argumentationem tuam posse; aut tam nequam, vt scriptis tuis, non veritatem docere, sed rudes decipere cogites. Reperiri igitur in minoribus Antichristis magni illius adumbrata non expressa similitudo debuit; vt si conferrentur cum illo, imago ac pictura Antichristi potius, quam Antichristi dici possent. Ea porro similitudo in eo posita erat, quod quamuis ille apertus Christi hostis esset futurus, illi Christiano se nomine tegerent: vtrorumque tamen commune sacrilegium esset, præceptis institutisque suis Iesum soluere. Nam quod Beatum Augustinum ita citas vt lib. 2. contra aduersarium legis, & Prophetarum cap. 12. fauere tam ineptæ huic

ſcripturarum diſceptationem veniamus. Neque enim ideò in Patrum auctoritate defendenda, atque hominis perditi calumniis detegendis tandiù hæſimus quod etiam eo auxilio, quamuis alioqui firmiſſimo, deſtituti quicquam noſtræ cauſæ timeremus. Inconcuſſa enim ſtat ea veritas, quæ eius teſtimonio nititur; cuius verbo cæli firmati ſunt. Sed caſtiganda fuit hominis improbi furioſa temeritas; neque ferendum, vt impunè nobis audientibus ſentinam illam impietatis, quam impuro pectore continebat, animal importunum euomeret.





Lib. II. *Ea inprimis scripturæ perpenduntur quas capite 2. profert Robertus Abbatus.*

I. *Ratio disputandi in hac scripturarum disceptatione seruanda.*

II. *Status quæstionis de nominibus Antichristi.*

III. *De significatione nominis Antichristi.*

IV. *Vtrum Antichristi vocabulum Christi Vicarium significare possit.*

V. *Locus Euangelicus atque Apostolicus mala fide ab Abbato proferuntur.*

VI. *Vtrum Antichristus certus ac singularis homo sit.*

VII. *Quid Apocalyptica bestia septem capitibus significetur, vbi Abbati inscitia detegitur.*

VIII. *Diluitur altera Abbati ratio.*

IX. *Defenditur prima Bellarmini ratio.*

X. *Defenditur alia Bellarmini ratio.*

XI. *Alia Bellarmini ratio defenditur.*

XII. *Duo postrema Bellarmini argumenta defenduntur.*

XIII. *Defenditur Bellarmini confirmatio petita ex concessione Caluini.*

XIV. *De Apocalyptico nomine bestiæ.*




ANDREAE EVDAEMON IOANNIS CYDONII E SOCIETATE IESV.

Adversus ROBERTI ABBATI OXONIENSIS DE ANTICHRISTO,

SOPHISMATA DISPVTATIONIS LIBER SECVNDVS,

QVO EÆ IN PRIMIS SCRIPTVRAE PERPENDVNTVR QVAS CAPITE 2. PROfert Abbatus.

1. Ratio disputandi in hac scripturarum disceptatione seruanda.



DIVINARVM literarum, hoc est, ipsum veritatis tribunal adeundum est. Videro lucifugæ isti qui splendorem tantæ maiestatis ferant. videro, quo deinde prouocent; quas exceptiones afferant; quid contra expressam Dei veritatem moliantur. Patres seponi placuit; seponantur: Ecclesiam

clesiam non audiri; non audiatur; vnas scripturas consuli; consulantur. Earum iudicio stari; stetur. Non veremur ne contra Ecclesiam, quæ firmamentum est, & columna veritatis, scripturæ pronuncient. Ego verò ita causæ confido, vt etiam ab aduersariis conditiones disceptationis accipiam. Imponant iudicij morem hostes omnium teterrimi Lutherus, atque Caluinus; accedat etiam, quando eius nugas confutamus, Abbatus. Statuant ipsi, qua ratione scripturas interpretemur: Quantum in hoc iudicio Patribus; quantum consensioni Ecclesiæ tribuendum sit; ne transuersum quidem vnguem à præscripto discedam. stent modo ipsi suis conditionibus; & quas disputationis leges tulerint; seruent in hac controuersia. Lutheri ea vox est in captiuitate Babylonica cap. de Sacramento panis. *Verbis diuinis non est vlla facienda vis neq; per hominem, neque per Angelum; sed, quantum fieri potest, in simplicissima significatione seruanda sunt; & nisi manifesta circumstantia cogat, extra grammaticam, & propriam accipienda non sunt; ne detur aduersariis occasio. vniuersam scripturam eludendi. Quo consilio rectè Origenes olim repudiatus est: quod ligna, & omnia, quæ de Paradiso scribuntur, grammatica loquutione contempta, in allegorias vertit.* Hunc seruemus tota hac disputatione interpretandæ scripturæ morem: vt quam in partem propriè accepta verborum significatio, atque, vt ait Lutherus, grammatica inclinat; ab ea stare veritas existimetur, nisi manifesta circumstantia cogat alias interpretationes moliri. Huic illa duo consequentia sunt; neque necessario effici si quibus vocibus impropriè, atque ad aliam significationem traductis vsus est aliquando Spiritus sanctus: eas aliis quoque in locis ad metaphoras, troposque reuocari continuò debere; si vim potestatē-

que suam retinere non incommodè possint. Quod si quando propriam significationem verborum series ipsa, textusque sermonis non ferat: eam demum interpretationem optimam esse, quæ cum incommodis vacet, quam minimum à propria acceptione dissentiat. Incommoda porro, quæ nos à genuina verborum significatione ad tropos, atque ad allegorias deducant, eiusmodi esse debere; quæ & incommoda esse constet; neque verò alia ratione vitari possint. Neque enim aut manifesta erit circumstantia, quæ cogit à propria verborum significatione discedere, si incommoda ea esse nõ constet: aut cogere dici potest, quę potest aliqua ratione vitari. Habemus à Luthero interpretandæ scripturæ normam: quantum consensioni, iudicioque Ecclesiæ tribuendum sit, accipiamus à Caluino; qui vt liberam habeat licentiam blasphemandi; nihilo plus illi tribuet; quam quantum negare extremæ impudentiæ hominem pudeat. Sed istuc tamen quantuluncumque est, ab illo accipiamus. Is libro 4. Institutionis cap. 9. §. 8. ita de conciliorum auctoritate scribit, *Quoties concilij alicuius decretum profertur; expendi primum diligenter velim, quo tempore habitum sit, qua de causa habitum, & quo consilio, & quales homines interfuerint: deinde illud ipsum de quo agitur, ad scripturæ amussim examinari idq; in eum modum, vt Concilij definitio suum pondus habeat; sitque instar præiudicij, neq; tamen examen, quod dixi, impediat.* Quare cum Conciliorum auctoritatem, non vt Catholici ex diuina promissione; sed ex præstantium eruditione, ac sanctitate virorum, atque ex temporum, quibus celebrata sunt, bonitate petat Caluinus; Patrum aut omnium, aut plurimorum consensioni nihilo minorem, maiorem etiam, si constare sibi velit, vim præiudicij necessario tribuet.

tribuet. Nam neq; vnum in locum tam multi vnquam præstantes viri conuenere; neque vna ætas tam multorum tanti nominis ingeniorum ferax vnquam fuit; neq; vlla meliora fuerunt Ecclesiæ tempora; quam quibus illi floruerunt. Et verò ea incommoda longè absunt, quibus conuentus hominum immunes esse vix possunt. Certè nullum inter eos esse potest victoriæ, atque ostẽtationis studium, nulla gratia, nulla potentia, nulla turbarum ac seditionum opportunitas, nullum periculum, ne vincantur à multis deterioribus meliores, in quorum deinde sententiam conuentus totius nomine decretum scribatur. Ex quibus illud efficitur, nisi diuino aliquo testimonio, eoque minimè dubio, tantorum virorum iudicium reuincatur; ratum fixumque haberi oportere, quod illi decreuerint: neque posse sine insigni temeritatis, atque arrogantiæ nota, quenquam ab eo resilire, quod lectissimorum omnium gentium, atque omnium ætatum ingeniorum conspiratio sanxerit. Abbatus, id quod libro etiam superiore notauimus, grande momentum ad scripturarum intelligentiam in patrum litteris esse docet; sed ita tamen, vt indices sint, atque ancillæ scripturarum; non iudices, qui sententiæ necessitatem imponant; vt si in scripturis ea inueniri non possint, quæ Patres indicant; liberum sit ab eorum opinione discedere. Ne id quidem in præsentia abnuo: sed ita tamen, vt si nihil afferre potuerit, quod eorum interpretationem labefactet; si inanes omnes eius rationes essẽ constiterit: momentum illud grande, quod in Patrum litteris ad scripturarum intelligentiam esse fatetur; pondus suum habere patiatur, meliorque interpretatio censeatur ea: quam perpetuus tot sæculorum, ac summorum ingeniorum consensus probauerit. Hæc

tichristi vocabulo propriè significetur; Sit ne Antichristus certa ac singularis persona. Et quod tandem sit mysticum Antichristi nomen. Primam capite primo, secundo alteram, tertiam decimo libri tertij de Romano Pontifice prosequitur Bellarminus. Quas tamen omnes vnico capite permiscet Abbatus, vt quæstionum confusione tenebras offundat lectorum ingeniis. Lucem enim perspicuitatis dogmata tenebricosa nō sustinent. Nos eo ordine de singulis disputabimus, quo ab Abbato tractantur: quantum quidem ad scripturarum intelligentiam pertinet.

Antichristi vocabulum in sacris litteris non nisi apud Ioannem in Epistolis, reperitur; ter epistolæ primæ secundo capite, semel cap. 4. semel item in secunda Epistola. De cuius vocis significatione duo docet Abbatus sectione prima secundi capitis. Alterum eo nomine Christi quidem aduersarium intelligi: Sed tectum tamen, ac simulatum. Alterum posse ea voce Christi Vicariū aptè significari ineruditus æquè grammaticus, ac ridiculus dialecticus. Nos Patrum auctoritatem sequuti, neque aliam vocis huius significationem agnoscimus: neque verò ad occultos tantum Christi aduersarios eam restringimus; quamuis eos quoque ea voce interdum significari non dubitemus. Nam si vim, atq; interpretationem nominis huius attendas, ita Christi aduersarium græcè significat: vt non minus apertos, quam latentes hostes amplectatur. quare nisi primus huius nominis auctor aliquid addiderit, quo ad latentes tantum aduersarios ea vox referatur: non est cur à maiorum nostrorum sensu, atque ipsa vocabuli etymologia discedamus. Non addidisse autem vel illud argumento est, quod magnum illum Antichristum à

5. De significatione nominis Antichristi.

quo

pertinens, siue ij apertas, siue occultas cum Christo exerceant inimicitias: tu ex eo colligis, ad intestinos tantum hostes eam appellationem referri? Dignam verò Caluiniana dialectica argumentationem. Addis etiam alteram non dissimilem rationem, præcessisse in minoribus Antichristis magni illius imaginem; eos porrò tectos Christiano nomine Ecclesiæ bellum intulisse: quare idem dicendum de eo videri, cuius imago in illis præuisa est. At vide quam sine fundamento sis impius. Nemo illorum, de quibus Ioannes scribit, in tota Ecclesia principatum obtinuit, nemo fuit Romanus Episcopus; igitur, si tua ista tam acuta conclusio quicquam valet, ne is quidem, qui in minoribus Antichristis tanquam in imagine præuisus est, Romanus Episcopus esse debuit, aut supremam sibi in Ecclesiã potestatem vendicare: quod tu vnum tã multis conaris efficere. Quod si, vt his te laqueis exuas, dicturus es, non omnibus in rebus exquisitè sibi imaginem respondere debere atque id, quod imagine redditur: satis ostendis te, aut tam esse fatuum; vt non animaduertas eadem ratione solui argumentationem tuam posse; aut tam nequam, vt scriptis tuis, non veritatem docere, sed rudes decipere cogites. Reperiri igitur in minoribus Antichristis magni illius adumbrata non expressa similitudo debuit; vt si conferrentur cum illo, imago ac pictura Antichristi potius, quam Antichristi dici possent. Ea porro similitudo in eo posita erat, quod quamuis ille apertus Christi hostis esset futurus, illi Christiano se nomine tegerent: vtrorumque tamen commune sacrilegium esset, præceptis institutisque suis Iesum soluere. Nam quod Beatum Augustinum ita citas vt lib. 2. contra aduersarium legis, & Prophetarum cap. 12, fauere tam ineptæ huic

interpretationi videatur; cum scribit, Antichristum esse eum, qui sub nomine Christi, hoc est, Christianum se videri volens, super extollitur contra Christum; more tuo falsarius es. loquitur enim eo loco sanctus ille vir de eo hæretico, qui ad Deum legis, & Prophetarum ea transferebat, quæ de Antichristo scripsit Apostolus 2. Thessal. 2. quæ cum de Antichristo non de veteris testamenti Deo scripta esse ab Apostolo docuisset: *Ad eũ,* inquit, (Antichristum) *etiam pertinet iste, qui sub nomine Christi, hoc est, Christianum se videri volens, superextollitur supra Christum, seq; ostendit Antichristum, non vnum illum maiorem ceteris, sed ex his aliquem, de quibus dicit Ioannes Euangelista, nunc Antichristi multi facti sunt.* Quem tu locum si legisses, non vt deprauares, sed vt Catholicam ex eo veritatem haurires, vidisses vnũ omnino hominẽ futurum magnũ illum Antichristũ; ad quem quia Christi aduersarij sunt, etiam hæresiarchæ pertineant; quãuis apertas cum Christo inimicitias profiteri non audeant. Ceterum futurum apertum Christi aduersarium magnum illum Antichristum, luculenter admodum docet Augustinus lib. 20. de ciuitate, cap. 8. cum pro baptizãdis filiis suis, multa cum Antichristo bella pugnaturos fideles scribit.

4 *Vtrum Antichristi vocabulũ Christi Vicarium significare possit.*

Altera de vi ac significatione nominis Antichristi controuersia est. Vtrum Christi Vicarium aptè significet. Affirmat Abbatus eã insaniam à Wolfgango Musculo, & centuriatoribus mutuatus; qui vt probarent Romanum Pontificem esse Antichristum, hac ratione vsi sunt; Antichristum idem significare atque Christi Vicarium: at Romanum Pontificem Christi se Vicarium nominare. Quod eorum frigidum, atque insulsum commentum ita refellit cap. primo Bellarminus. *Apud Græcos*

Græcos vocem ἀντὶ propriè significare oppositionem; & quoniam opponi dicuntur non solum ea, quæ pugnant inter se; sed etiam ea, quæ æquiualent: indè factum esse, vt ἀντὶ in compositione interdum significet contrarietatem, interdum æquiualentiam, nunquam autem subordinationem. Vicarium autem non significare oppositionem; sed subordinationem ad alium, & ideo non posse exprimi per vocem ἀντὶ. Quam viri doctissimi rationem Abbatus ita conatur refellere. Certissimũ esse propositionem ἀντὶ non oppositionem solum, aut æquiualentiam, sed vnius rei pro altera substitutionem denotare: atque exempla non nullarum tum vocum, tum loquutionum græcarum profert, quibus id efficiat, quæ omnia aut ad æquiualentiam, aut ad oppositionem apertissimè reuocantur. Nam cum dicitur, serpens pro pisce, scorpius pro ouo, malus poëta pro bono Medico, substitutio est ex oppositione promanans. Sunt enim hæc sibi inuicem veluti aduersantia, quorum alteri bono, atque optabili, malum alterum, atque fugiendum substituitur. At cum dicitur, bos loco serui, pauperibus, ad æquiualentiam refertur; item vt cum ἀντίσποδος dicitur, quia simili virtute pollet, vt loco spodij adhiberi possit; quò etiam spectat exemplum gallæ, quam quia locum glandis obtinet in quercu, eique ex altera parte respondet, ἀντιβάλανον, appellarunt Græci. huc item refertur ἀντίφρουρος, qui præstat id quod custos præstare debet. Porro ἀντιστράτηγος, quid græcè significet quia eo exemplo Musculus vsus fuerat, satis Bellarminus iam declarauerat. vt ineptè ab Abbato nominis huius exemplum sine Bellarminianæ responsionis confutatione prolatum sit. Vna reliqua est vox ἀντιβασιλεὺς, qua id effici existimat Abbatus, quod maximè cupit. Sed cum multa moueat, nihil promouet; ita enim

dicuntur, ἀντιβασιλεῖς græcè; vt latinè Proconsules, ac proprætores, non quod delegata ab alio, cuius vices gerant, potestate prouinciam administrent; sed quod ea munera obeant in prouincia, quæ à consulibus prætoribusque obiri consueuerunt. Id quod in nonnullis lexicis animaduersum video, in quibus ἀντιβασιλεῖς latinè dicuntur interreges, qui republicam interim administrant, dum nouus substituatur vel Rex, vel cum potestate regia magistratus; quæ substitutio ad æquiualentiam spectat. Atque hæc non ideò disputo, quod magnum causæ nostræ momentum in eius præpositionis significatione positum esse existimem: sed ne in inani græcularum vocum pompa sibi tantoperè placeat Abbasus; qua vt minus eruditos terreat, aliis quidem certè stomachum facit. significet enim aliquando ea præpositio sine oppositione etiam substitutionem cum subordinatione, quod iste vult: tamen de vocis Antichristi significatione ineptè philosophari istos homines aio. Neque enim ea est eius particulæ vis; vt in quocunque nomine eam inuenias, quamcunque earum significationum æque admittat: sed in certis vocibus, certam habeat vim, ac subiectam sibi notionem. ita ne aduersarij quidem dixerint, ἀντίσποδον, spodij contrariũ, vel ἀντίφρουρον custodi aduersarium significare posse quia in his vocibus vsus obtinuit, vt æquiualentiam significet cui contrarietas aduersatur. Cum igitur vel Abbati confessione constet, ita Antichristi nomen ab ipso suo conditore vsurpatum esse, vt Christi aduersarium significet: qua ratione poterit eum, qui eius partes ipsomet demandante Christo in terris obeat (quod Vicarij nomine intelligimus) denotare? cum hæc sibi inuicem aduersentur? Adde quod etiam si vtriusque significatio-

ficationis ea vox ita capax esset, vt & vicarium, & aduersarium Christi significare simul posset: tamen nullum habemus indicium, vnde colligamus id sibi voluisse in scripturis Spiritum sanctum. *Sicut audistis*, inquit Beatus Ioannes cap. 2. primæ Epist. *quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt.* Certè quando minores Antichristos cum magno comparat, atque eius similes esse docet, similitudinem eorum attendit; quæ non in eo posita est, quod vtrique Christi vicarij vel dicantur, vel sint: sed in eo quod vtrique Christo, eiusque Ecclesiæ bellum inferant. Item eodem capite. *Hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium*; Ne hic quidem ea vox Vicarium, sed aduersarium denotat. Neque verò cap. 4. eius Epistolæ quicquam aliud significant ea verba. *Omnis Spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est; & hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit.* Quid Epistola. 2? *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carne; hic est seductor, & Antichristus.* Estne in his verbis quicquam, quod ad vicariam potestatem significandam referatur? Cum igitur nihil sit in sacris litteris, quod eam vocis huius significationẽ indicet; cumque nemo ante auditum Lutheri Euangelium hanc huic voci significationem tribuerit: non magis potest ea vox Vicarium Christi significare, quam ἀντιπαροδος spodij contrarium, aut ἀντίφρουρος custodi aduersarium. Imò verò cum præpositio, ἀντὶ, contrarietatem propriè atque à prima origine denotet, quamuis analogia quadam ad alia quoque significanda adhibeatur; nisi vel peculiaris vocis alicuius vsus, vel adiuncta aliam significationẽ necessariò exigant; ad primam suam notionem, ac vim tum ipsa, tum nomina ex ea composita reuocanda sunt. Quare cum Anchristi nomen

neque vſum, neq; adiunctum quicquam habeat, quod primæ vocis huius ſignificationi aduerſetur: temerè ab impoſtoribus alio detorquetur. Denique ſi vllum partium ſuarum Vicarium Chriſtus reliquit in terris, qui legata ab eo poteſtate Eccleſiam adminiſtret: profectò vt nihil eo munere vel ad venerationem religionis auguſtius, vel ad amplitudinem dignitatis illuſtrius fieri poteſt; ita ne vllam quidem appellationem vel diuinā, vel honorificam magis mortalitas capit. Cur igitur ſi Antichriſti nomen ſacroſanctæ poteſtatis vocabulum eſt, tam abominandum, tanquam prophanum in Eccleſia ſemper habitum eſt? Aut cur is, quo nullus aut fuit, aut futurus eſt vnquam capitalior hoſtis Eccleſiæ, Apoſtolorum etiam voce tam auguſti nominis appellatione dignatus eſt? Quod ſi dixerit Abbatus non verum Chriſti Vicarium, ſed ſimulatum, eumque, qui cū ſit hoſtis Chriſti, Vicarium ſe mentitur eo nomine ſignificari: ego illi tam reconditam hanc linguæ græcæ ſcientiam non inuidebo; apud quem *ἀντίχριστος*, & *ψευδαντίχριστος*, idem ſonent. equidem quamuis græcus homo ſim, non video, diuinæ illa ſimulatio poteſtatis vtra eius vocis particula ſignificetur. Nam in Chriſti quidem nomine impoſtura non latet; in præpoſitione *ἀντὶ*, cum ſubſtitutio (ſic enim Abbatus ſtatuit, cui in præſentia morem gerimus) cum ſubordinatione, ac nihil pręterea contineatur: qua tandē eius nominis vel parte, vel ſyllaba iſta vicariæ poteſtatis fictio deſignatur? Aut cur nominibus etiam *ἀντιβασιλέως*, & *ἀντιστρατήγου*, non ea ementitæ poteſtatis ſignificatio tribuetur? Atque hæc de notatione nominis Antichriſti; nunc cetera videamus.

5. *Locus Euã.* Sectione ſecunda. *Vt dicam paucis*, inquit, *Antichri-*

ſtum

ſtum certiſſimum eſt, per ſummam hypocriſim rem acturum, vt potè quem venturum edocti ſumus in omni deceptione iniquitatis, ita vt ſeducat, ſi fieri poßit, ipſos electos, atque adnotat ad marginem caput ſecundæ Theſſal. 2. & Matthæi 24. ex quibus colligit, Antichriſtum non apertum Chriſti hoſtem, ſed ſub Chriſtiano nomine eius aduerſarium futurum.

gelicum, & Apoſtolicum mala fide ab Abbato proferuntur.

Quo loco primo quidem falſarius eſt Abbatus, qui hæc duo ſcripturę teſtimonia ita coniungit; vt de fictione, & hypocriſi Antichriſti loqui videantur, cum euidēter Matthæi locus de ſignis, ac prodigiis, quibus vtetur ad decipiendū ſcriptus ſit. Surgēt, inquit, Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, & dabūt ſigna magna ac prodigia; ita, vt in errorē inducantur etiam electi, vbi in his verbis ſimulatio illa quam fingit Abbatus? Adde quod verba illa Matthæi 24. ſurgent Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna, &c. non vno loco contendit Abbatus, non ad Antichriſtū, ſed ad alios neſcio quos impoſtores referri oportere: Quæ tamen, vt cauſæ ſuæ ſeruiat, nunc ad Antichriſtum accommodat. Et tamen iſti tam ſeueri cenſores dogmatum ad ſcripturarum iuſtiſſimam amuſſim omnia, ſi Deo placet, expendunt.

Iam quod citat ex ſecundæ Theſal. 2. de induſtria deprauatū videtur: cur enim cum vulgata editio legat, *In omni ſeductione iniquitatis*; legere ipſe maluit; in omni deceptione? niſi quod decipiendi vocabulum magis ad rem ſuam facere videbatur. Nam ſeduci quis poteſt ſiue impoſtura, & fraude, ſiue iis propoſitis, quæ eius voluntatem ad malum alliciant: deceptio ad fraudem magis ac mendacium refertur. Et tamen græca vox ἀπάτη, qua eo loco Apoſtolus vtitur, ſiue etymologiam, ſiue

vſum

vsum ejus spectes, seductionis significationem magis æmulatur. Nam ἀπάτη, & ἀπατάω ἀπὸ τῆς πάτης, hoc est, à via deriuata sunt, quod is, qui seducit, à via deducat. parum autem refert quibus demum artibus, id efficiat. quamobrem etiam ἀπάτην πλούτου, dixit Xenophon, hoc est diuitiarum fallaciam. quæ tamen non imponendo, sed alliciendo fallunt. id quod animaduertit Erasmus in cap. 24. Matthæi, vbi ἀπάτην πλούτου ita interpretatur. Vox ista, inquit, fallaces indicat diuitias; non quod fallant, hoc est, frustrentur hominem; sed quod à via deducant. Ceterum, siuè deceptionem, siuè seductionem legas, dummodo Pauli locum integrum proferas; parũ te tua fraus iuuabit. Cuius est aduentus, inquit, secundum operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione (siue, vt tu mauis, deceptione) iniquitatis. Quis est, qui, modo sponte cæcutire nolit, non videat, postremis illis verbis quandam totius orationis veluti clausulam, ac superiorum omnium compendium contineri? Idemque eo loco valere ἀπάτην, atque rem ad seducendos homines accommodatam? Ac si diceret Apostolus, signis, prodigiis, virtutibus, atque iis denique rebus omnibus vtetur Antichristus, quæ ad seducendos homines opportunæ videbuntur. Neque enim signa tantum adhibebit, quæ Christo ipso teste magnum ad seductionem electorum etiam, si fieri posset, pondus habitura sunt: sed & pollicitationibus, & cruciatibus acturus est aduersus Ecclesiam. Id quod paucis verbis ita scribit B. Hieronymus in cap. 11. Daniel. eius, ea verba explicans. Dabit eis potestatem in multis, & terram diuidet gratuito. *Antichristus multa deceptis munera largietur, & terram suo exercitui diuidet, quosq; terrore nequiuerit, subiugabit auaritia.*

ritia. Perstringet nimirum oculos miseræ multitudinis infelix illa felicitas, splendorque tanti imperij, vt eum sequantur, cuius in potestate esse omnia viderint. Vt igitur vno verbo hæc omnia complecteretur, neq; prolixa enumeratione singula recenseret subdidit Apostolus ea verba. In omni deceptione iniquitatis. Qua autem ratione ex hoc loco colligit Abbatus meus Antichristum per summam hypocrisim rem acturum? cum possit & Christi apertum se hostem profiteri, & adhibere hæc omnia ad homines seducendos. Imò si eius hypocrisis ea futura est, de qua scriptum est, quod in errorem inducet, si fieri posset, etiam electos, alia esse non potest, nisi ea, quæ in signis prodigiisque posita est. At enim eam inibit Antichristus agendi cum hominibus rationem, quæ compendiaria sit ad fallendum via: nulla autem aptior ad seducendos Christianos est, quam si Christi nomen in speciem retineatur; Christus re ipsa reiiciatur: hanc igitur initurus est. Audio; sed licebit tamen per te Antichristo, ita maximè opportunam ad fallendum inire rationem; vt consiliis suis non incommodet; cum autem id acturus sit, vt pro Deo habeatur ipse, & colatur in templis, Christi vero venerationem funditus euertat, ac deleat: sub Christiano nomine latere non poterit; sed ad finem suum consequendum ea adhibebit, quæ in scripturis sanctis edocti cum simus, temerè alia quærimus Nam signa, & prodigia ac virtutes habemus ex cap. 24. Matthæi 2. Thes. 2. & Apocalyp. 13. magnitudinem imperij, ac felicitatis eius, & persequutionem Ecclesiæ habemus ex Daniel 7. & 11. & ex Apocalyp. 13. quibus B. Ioannes tribuit seductionem, atque idololatriam gentium. *Dedit illi*, inquit, *Draco virtutem suam, & potestatem magnam, & vidi vnum de ca-*

pitibus suis quasi occisum in mortẽ, & plaga mortis eius curata est, & admirata est vniuersa terra post bestiam, & adorauerũt draconem, qui dedit potestatem bestiæ, & adorauerunt bestiam dicentes, quis similis bestiæ? Et quis poterit pugnare cum ea? Ita ne probabile quidem est quod tam præfricta fronte certissimum esse dicit Abbatus; sed apud istos nihil est mendacio certius.

6. *Vtrum Antichristus certus, ac singularis homo sit.*

Sequitur altera de Antichristi nomine quæstio. Appellatiuum ne id, an vnius hominis proprium nomen sit. Illud aduersariis, hoc nobis placet, qua vna in re totius ferè de Antichristo disputationis cardo vertitur; vt paulo accuratius tractari eam necesse sit. Proferam prius Abbati pro sua hæresi rationes, quas vbi vix duas, easque ex obscurissimis scripturæ locis petitas sophismatum, errorum, inscitiæque plenissimas esse lectores animaduerterint, tum apud se statuant quales sint hæreticorum contra Ecclesiã demonstrationes. Expendã deinde quam apte, atque accommodatè Bellarmini pro fide Catholica rationes dissoluat. Sed antequam disputationem aggrediar, libet velitationis loco ex Abbato quærere, qui tam certo compererit, vt etiam procul dubio ita esse pronunciare ausus sit verbis illis Apocalyp. 13. qui habet intelligentiam computet numerum bestiæ, numerus enim hominis est, significari talem eũ numerum esse, qui ab homine possit ratione, atque ingenio peruestigari; hæc enim ipsa eius verba sunt cap. 2. sect. 3. Certè inter loci eius interpretes quid iis verbis significetur non satis conuenit. Atque alia est Arethæ, alia Bedæ, alia Ricardi interpretatio. Neque verò ipsa loquendi formula eiusmodi est, vt præter Abbatianam hanc interpretationem nullam admittat. Nisi forte cũ Apocalypsis 21. dicitur Angelus mensus murum ciuitatis

tatis mensura hominis, quæ est Angeli, id significari cõtendat posse humanis viribus cælestem Hierusalem mẽsurari. Sed hæreticis pro fide, ac sapientia confidentia, ac temeritas est vt nullo alio fundamento res affirment quam quod sibi ita videtur. Nunc ad rem ipsam propius accedamus. 7.

Quid apocalyptica bestia septẽ capitibus significetur.

Sectione 4. probare conatur non vnum certum ac singularem hominem, sed multorum sibi succedentiũ seriem Antichristi nomine significari, idque hac fermè ratione concludit. Antichristus vnum est è septem capitibus bestiæ, quæ Apocalyp. 17. Romanum imperiũ, ac septies mutatum eius Reip. summum magistratum significat, Atqui reliquis capitibus non vnus aliquis Rex, sed longa multorum successio denotatur: idem igitur etiam de Antichristo dicendum est. hanc ille rationem his verbis explicat. *Huius bestiæ*, inquit, *septem capita numerantur, quæ ab Angelo de septem regibus Romanis exponuntur. Vbi de Regum nomine semel, & semper admonendũ est, non eos tantummodo reges dictos esse, qui communi stylo scribuntur reges, & nominantur, sed Principes, quoscunq; politicos, qui summum penes se magistratum, & regimen habent. tales erant Romæ primo, nomine ipso reges, post regis nomen expulsum consules, tribuni, decemuiri, dictatores, quibus numerus Regum quinarius expletur. De septem ergo illis regibus quinq; ceciderant ante Christum, sextus in aduentu Christi eminuit, septimus in occasu sexti venturus est. Iam verò quinq; illi reges, qui ceciderant ante Christum & sextus, quem Christus regnantem inuenit, non singuli reges, aut sex homines singulares, sed Principatus sex, & succedentium in singulis principatibus regum, hoc est summorum illius Reip. moderatorum series, & decursus intelliguntur. Quæ nunc ergo ratio persuadeat, vt cum sex illa capita priora de Regum successione*

sione singula accipiantur: septimum quod Antichristum omnes exponunt; de singulari homine tres dumtaxat annos, & sex menses regnaturo intelligamus. Quibus verbis primo falsarius est Abbatus. Neque enim Angelus, nisi quam apocalypsim Oxonij nuper ipse commentus est, vnquã dixit, septem capitibus septem Reges Romanos significari. *Septem capita*, inquit, *septem montes sunt super quos mulier sedet, & reges septem sunt, quinq; ceciderunt, vnus est, & alius nondum venit.* Humanas igitur coniecturas, cur nobis pro expressa reuelatione tam impudenter obtrudit? præcipuè cum communis interpretatio non Romanos, sed alios quosdam reges intelligat.

Deinde hæc eius interpretatio ex ipsis prophetiæ verbis refellitur; qua enim ratione, si septem illi Romanæ Reipublicæ summi magistratus intelliguntur, constare potest quod de septimo dicitur, cum venerit caput septimum oportere illud breue tempus manere; cum nullus fuerit æquè diuturnus, atque is, quem septimum Abbatus comminiscitur. Millesimum enim iam annũ viget, si illi credimus, regnum Antichristi, cum totidẽ à successore Gregorij Bonifacio ad hæc vsque tempora defluxerint. at non solum priorum nullus per se, sed ne quinq; quidem illi simul sumpti tanto tempore floruerunt, quem tamen vnum præ ceteris breui tempore mansurum affirmat Spiritus sanctus. Decemuirũ vix biennale fuit imperium; Tribuni non vltra quindecim annos Rempublicam adminstrauere, dictatura initio paucorum dierum numero gesta, ac ne multis quidem annis postquam in tyrannidem degenerauit. regnum, & consulatus quæ magis diuturna fuerunt imperia, ne illa quidem comparari cum pontificatu possunt. Regnatum est omnino annis ducentis quadraginta quattuor,

tum

tum. Consules sex & quinquaginta annis ante decem viros, post eos aliquanto paucioribus ad tribunos vsq; Rempublicam tenuere, post abrogatos tribunos, restitutumque in vrbe consulatum ad perpetuam vsque dictaturam Cæsaris, anni treccenti circiter, & quadraginta fluxere. Quos omnes si in vnam summam reuoces; annos conficies plus minus quadringentos. Anni omnes ab vrbe condita ad Augustum vsque, qui imperatorum primus numeratur, pauci sunt supra septingentos. Per Imperatores ab Augusto ad Bonifacium vsque, cum septimum regnum exortum Abbatus fabulatur, non sexcentis integris annis administratum imperium est. Quorsum igitur regnum illud, quod vnum omnium maximè diuturnum erat, breui tempore permansurum dixit, qui hoc ne de biennali quidem imperio decemuirali mandauit litteris? aut quid aliud prudens lector intelliget, cum ista legerit: nisi exiguo admodum tempore regnum hoc circumscribi oportere; cuius vnius breuitas præ ceteris commendetur?

Iam nec illud quidem aut fraude, aut inscitia caret; quod ait in singulis his magistratibus certam quandam fuisse eorum, qui eos gesserint, sibi succedentium seriem Nam quæ tandem ista fuit tam longa decemuirum sibi succedentium series? cum ad alteros decēuiros vix magistratus ille productus sit. atque id quidem fraude potius ambitiosorum; quam ipsius natura magistratus. quis dictator dictatori iure ordinatio suffectus est? aut quod vnquam Romanis legibus certum statutum est dictaturæ gerendæ tempus? qua re cū colligit, in septimo quoque regno seriem sibi inuicem succedentium intelligi oportere, quod id in sex prioribus factum est; aut mentitur, aut desipit. quanquam illi vtrunq; fami-

liare eſt. Adde quod dictatura regni rationem nulla ratione habere potuit. cum is magiſtratus ordinarius in Republica Romana non fuerit, neque conſulare imperium, ne ad tempus quidem, abrogarit, cum dicto etiã dictatore, cõſules magiſtratum retinere ſoliti ſint. Huc accedit quod etiam ſi ea omnia, quæ vocat Abbatus regna, longa ſibi ſerie ſucceſſiſſent: non indè neceſſario efficitur poſtremum quoque regnum eadem ſucceſſione conſtare debere. Satis enim eſt, ſi noua regendæ Reipublicæ ſpecies, atque alius magiſtratus introducatur: penes quem ſummum imperium ſit; ſic enim Abbatus ipſe decreuit. Poſt Alexandri mortem ita diuiſum eius imperium eſt, vt ſingularum partium Regibus longo ordine ſuccederetur: Et tamen Hircus ille caprarum, quo apud Danielem capite 8. Græcorum regnum portendebatur, primo illo maiore cornu perbreue Alexandri vnius regnum, quatuor iis, quæ primo euulſo enata sũt, quatuor ea regna ſignificat, in quæ eo extincto diuiſum eius imperium eſt, quamuis in ſingulis eorum longa ſucceſſione regnatum ſit. Qualis igitur iſta argumentatio eſt? ſex primis capitibus longa ſucceſſionum ſeries monſtrabatur, non poteſt igitur in poſtremo breue vnius hominis regnum intelligi; præcipuè cum quaſi hoc ipſum præuidens, Spiritus ſanctus adiecerit, poſtremũ illud regnum breui tempore permanſurum. Quod ſi iſtã numerandorum regnorum rationem inire velimus, aut plura quàm ſeptem, aut pauciora capita illa eſſe neceſſe eſt. Quis enim non videt, quamuis regis, imperatorisq; nomen diuerſum ſit; idem tamen, ſi rem ipſam ſpectes, nominibus illis ſignificari? Si ergo vna eademque adminiſtrandi ſumi imperij ratio ſiuè ſemel introducta, ſiuè interpolata, ac repetita ſæpius, vno capite ſignifi-

ſignificatur, quod de conſulum, ac Dictatorum imperio fateri neceſſe eſt; regum imperatorumque ſucceſſio non niſi vno capite ſignificari poterit. Erunt igitur ad ſummum ſex beſtiæ capita. Si autem alio ſupremi magiſtratus genere in ciuitate recepto, interrupta ſemel alterius ſeries, quamuis poſtea repetatur, non poteſt eodem capite denotari: conſulatus bis interruptus decemuirum, tribunorumque creatione penes quos eſſet ſummum imperium, ac nunquàm continuata dictaturę ſucceſſio; tot capitibus deſcribentur; quoties reuocati in ciuitatem ij magiſtratus, ac repetiti fuerunt. Neque verò illud contemnendum eſt, quod non ſemper eadē regnandi atque imperandi ſpecies Romæ fuit. Nam neque Romulus ſemper ſolus regnauit; neque eadem fuit regni conſtitutio, cum penes eum vnum rerũ ſumma eſſet, quæ poſt, recepto in regni ſocietatem Tatio eſſe neceſſario debuit. Neque rarò poſtea Romana curia duos, interdum etiam plures ſimul imperatores vidit; quorum vt ſocietas monarchiam tollebat, ita aliam reipublicæ, ſummique magiſtratus reddebat ſpeciem. Nam Auguſti, collegarumque triumuiratum ad quod tandem ex his capitibus reuocaturus eſt?

Quod autem iam inde ab vrbe condita Romanum Imperium repetit, vt ſeptenarium magiſtratuum numerum conficiat: ridiculus eſt. Si enim, vt ipſe ait, eadem eſt beſtia, hæc cap. 17. Apocalypſ. cum ea quæ apud Danielem cap. 7. decem prædita cornibus deſcribitur; ibi autem quarta mundi monarchia, ac regnum vnum omnium maximum potentiſſimumque ea beſtia deſignatur; qua ratione vrbs ex paſtoribus, ac perfugis coaleſcens, ac vix ſibi ipſa ſatis, in eo numero collocabitur? Certè multis poſt vrbem conditam ſæculis extitit Alexander,

liare est. Adde quod dictatura regni rationem nulla ratione habere potuit. cum is magistratus ordinarius in Republica Romana non fuerit, neque consulare imperium, ne ad tempus quidem, abrogarit, cum dicto etiã dictatore, cõsules magistratum retinere soliti sint. Huc accedit quod etiam si ea omnia, quæ vocat Abbatus regna, longa sibi serie successissent: non indè necessario efficitur postremum quoque regnum eadem successione constare debere. Satis enim est, si noua regendæ Reipublicæ species, atque alius magistratus introducatur: penes quem summum imperium sit; sic enim Abbatus ipse decreuit. Post Alexandri mortem ita diuisum eius imperium est, vt singularum partium Regibus longo ordine succederetur: Et tamen Hircus ille caprarum, quo apud Danielem capite 8. Græcorum regnum portendebatur, primo illo maiore cornu perbreue Alexandri vnius regnum, quatuor iis, quæ primo euulso enata sũt, quatuor ea regna significat, in quæ eo extincto diuisum eius imperium est, quamuis in singulis eorum longa successione regnatum sit. Qualis igitur ista argumentatio est? sex primis capitibus longa successionum series monstrabatur, non potest igitur in postremo breue vnius hominis regnum intelligi; præcipuè cum quasi hoc ipsum præuidens, Spiritus sanctus adiecerit, postremũ illud regnum breui tempore permansurum. Quod si istã numerandorum regnorum rationem inire velimus, aut plura quàm septem, aut pauciora capita illa esse necesse est. Quis enim non videt, quamuis regis, imperatorisq; nomen diuersum sit; idem tamen, si rem ipsam spectes, nominibus illis significari? Si ergo vna eademque administrandi sumi imperij ratio siuè semel introducta, siuè interpolata, ac repetita sæpius, vno capite signifi-

ſignificatur, quod de conſulum, ac Dictatorum imperio fateri neceſſe eſt; regum imperatorumque ſucceſſio non niſi vno capite ſignificari poterit. Erunt igitur ad ſummum ſex beſtiæ capita. Si autem alio ſupremi magiſtratus genere in ciuitate recepto, interrupta ſemel alterius ſeries, quamuis poſtea repetatur, non poteſt eodem capite denotari: conſulatus bis interruptus decemuirum, tribunorumque creatione penes quos eſſet ſummum imperium, ac nunquàm continuata dictaturę ſucceſſio; tot capitibus deſcribentur; quoties reuocati in ciuitatem ij magiſtratus, ac repetiti fuerunt. Neque verò illud contemnendum eſt, quod non ſemper eadē regnandi atque imperandi ſpecies Romæ fuit. Nam neque Romulus ſemper ſolus regnauit; neque eadem fuit regni conſtitutio, cum penes eum vnum rerū ſumma eſſet, quæ poſt, recepto in regni ſocietatem Tatio eſſe neceſſario debuit. Neque raro poſtea Romana curia duos, interdum etiam plures ſimul imperatores vidit; quorum vt ſocietas monarchiam tollebat, ita aliam reipublicæ, ſummique magiſtratus reddebat ſpeciem. Nam Auguſti, collegarumque triumuiratum ad quod tandem ex his capitibus reuocaturus eſt?

Quod autem iam inde ab vrbe condita Romanum Imperium repetit, vt ſeptenarium magiſtratuum numerum conficiat: ridiculus eſt. Si enim, vt ipſe ait, eadem eſt beſtia, hæc cap. 17. Apocalypſ. cum ea quæ apud Danielem cap. 7. decem prædita cornibus deſcribitur; ibi autem quarta mundi monarchia, ac regnum vnum omnium maximum potentiſſimumque ea beſtia deſignatur; qua ratione vrbs ex paſtoribus, ac perfugis coaleſcens, ac vix ſibi ipſa ſatis, in eo numero collocabitur? Certè multis poſt vrbem conditam ſæculis extitit Alexander,

xander, qui primus regnauit in Græcia; qua igitur ratione quarto loco Romanum imperium numeratur si id tanto tempore ante iam floruerat? Aut cur, si non imperium modo, sed imperij etiam origo describitur: nõ item Regnum Macedonum, quod ante Alexandrum illustrius, potentiusque fuit; quam, multo etiam post exactos Reges tempore, Romana Respublica? Denique hæc omnia Abbato condonabo, si quæ in Ioannis prophetia de bestia, eiusque capitibus scripta sunt; aptê mihi de Romano imperio interpretari potuerit. Quid enim sibi volunt ea verba vesu 8. *Bestia, quam vidisti, erat, & non est, & de abysso ascensura est, & in interitum ibit.* Et versu 11. *Et bestia quæ erat, & non est, & ipsa octaua est, & de septem est, & in interitum vadit.* Quibus apertissimè denunciat Spiritus sanctus, quicquid demum ea bestia denotetur, id ante ea tempora cum hæc scriberentur, fuisse illud quidem; sed tunc non esse, ac futurum, vt iterum in lucem ab inferis reuocetur; quæ qua ratione conuenire possunt in Romanum imperium? quod Abbatus ea bestia designari contendit. cum vix vnquã antea magis floruerit opibus, viribusque, quàm cum hæc à Ioanne Apostolo scriberentur. Præterea qua ratione bestia vnum de septem capitibus suis est? quænam ista est tam inaudita conuersio, vel bestiæ totius in vnũ de capitibus suis, vel Romani imperij in magistratus suos? vt idem sit, & id quod administratur, & ipsa administrandi ratio, & magistratus; & id cui regendo magistratus præficitur. At id profecto ita esse necesse est; si capitibus diuersa Reipublicæ descriptio; bestia ipsa Romanũ imperium eo loco significat At vt hæc, etiam *ἀδύνατα*, fieri posse concedamus, qua ratione bestia, quæ vna de septem est, & ipsa octaua esse potest? nisi enim ad septem

ſeptem vnum præterea addideris; octonarium nunquã efficies. beſtia autem, cum vna de ſeptem ſit, adiici ad ſeptem illa non poteſt, niſi nouo prodigio congeminetur.

Quæ res viros doctiſſimos Franciſcum Riberam, & Blaſium Viegam impulit, vt veteres ſequuti, aliam inirent interpretandæ viſionis huius rationem. Nam beſtia coccinea Satanam mundi huius Principem, rectoremque tenebrarum harum, ſanctorum ſanguine madidum deſignari contendunt, ſingula eius capita, ita ſingulis Mundi ætatibus tribuunt; vt maximè inſignia eius membra, quæ in ſanctos ſæuierunt, atque aduerſus Deum ſingulis ætatibus extulerunt ſe ſe ſingulis capitibus ſignificentur.

Porrò quia ab Adam vsque ad Chriſtum quinque mundi numerantur ætates; quinque capita iam fuiſſe, ſextum, quod Chriſti ætatem ſignificat, & tunc viguiſſe, cum Apocalypſis ſcriberetur, & ad Antichriſtum vsque portendi; ſeptimam verò ætatem Antichriſti imperio reſeruari, qua mundi huius periodus concludetur. Beſtiam autem ipſam, qua Diabolus regnans in orbe terrarum denotatur, dici fuiſſe quidem aliquando, ſed nũc non eſſe, quia à Chriſto eiectus eſt ferus, ac regno ſuo ſpoliatus, vinctusque apud inferos detinetur; vnde ſolutus aliquando, exiſtet: cum Antichriſto perſequutionem mouente, ſæuiendi liberam poteſtatem acceperit; Quare etiam de abyſſo aſcenſurus deſcribitur. Dici porro beſtiam vnum de ſeptem capitibus; quia, quamuis in omnibus membris ſuis ſatanas perſequutus Eccleſiàm ſit, in omnibusque regnauerit: ita tamen totum acerbitatis ſuæ virus effundet, ac tanto maiore impetu, quam vnquam ante Eccleſiam adorietur; vt in reliquis

R perſe-

perſequutionibus pugnaſſe contra Eccleſiam humana crudelitas, in hac Diabolus ipſe debacchari, ac furere videatur. Quare beſtiam, & re vera octauam eſſe, cum ab omnibus iis differat, per quos vexauit Eccleſiam, & tamen eſſe de ſeptem, quia in Antichriſto bellum ipſe geſturus ſit. Quæ non ideo diſputo, quod certa omnino, ac minimè dubia eſſe credam: Sed vt prudens Lector intelligat, viſionem hanc, quæ in Romanum imperium difficile conuenire poteſt; probabiles alias interpretationes admittere. Ceterum quid eo loco ſignificetur; ſcit is, qui ſcripturas condidit Spiritus ſanctus. Et quando hic ſumus, locus hic non ante dimittendus nobis eſt; quàm videamus quid ex eo Abbatus ſect. 6. cap. 3. colligat. Ait proprium Antichriſti locum diſtinctè notari Apocalyp. 17. ſeptimontanam ciuitatē, quæ regnum habet ſuper reges terræ. Id quod in eo capite nuſquam legimus. Sit enim, vt tu vis, beſtia hæc ſepticeps, Romanum imperium; quanquam id non ita certum eſſe docui, ſit vrbs Roma purpurata illa meretrix: qua ratione colliges, ſedem beſtiæ Romam eſſe? quia ne in Apocalypſi beſtiæ inſidens viſa eſt? ô dignam iſto capite rationem. in quod ſi æſopica illa vulpecula inciderit; vide ne cerebrum in eo deſideret. At quid ſibi vult, inquies, inſidere Romam imperio? Non difficile reſpondeo; vbi vbi ſit ſedes imperij, Romano iure imperari. Neque enim ſi Conſtantinus ſedem Imperij Byzantium tranſtulit, alio quam Romano iure retentum poſtea imperium eſt. atque ita, cum plus quingentis annis, integri adhuc atque incolumis imperij ſedes Byzantij fuerit; Romanum Imperium ſtabat, imperij ſedes Roma non erat. Ex quo etiam alia ſoluitur non minus inepta ratio tua, qua effici putas Romanum imperium

perium penitus iam esse deletum, quia in potestate Imperatoris vrbs Roma non est. Qua ratione dicturus es, Honorio Imperatore Imperium deletum esse; quia eo tempore vrbs à Barbaris capta, atque direpta est. Quod si tunc, quia in reliquo terrarum orbe iurè Romanæ ciuitatis dominabatur Honorius: imperium cum vrbe non concidit, eadem ratione, qui nunc Populi Romani iurè imperat, Imperator est, quamuis vrbe Roma alius potiatur. Desipis Abbate cum ista scribis, neque quicquam melius tam ineptis rationibus, quam stultitiam tuam probas, Tu tamen pergis, atque vt totus in bestia es, auelli ab ea non potes. Itaque vt rationem tuam è capitum petitam numero confirmes, *Quod quidem* (inquis sectione eadem secundi capitis) *eo minus probabile est* (septimo capite vnum hominem, ac non longam multorum seriem designari) *quod in septimo illo rege docemur, imaginem sexti esse repetendam. Imperium enim Romanum bestia dicitur, Antichristi status imago bestiæ.* atque adnotas ad marginem Apocalyp. 13. v. p. & 17. u. 7. quo loco non disputo de imagine bestiæ, quam tu septimum bestiæ caput sine teste, sine coniectura, sine ratione vlla facis, alius est mihi ad disputandū de ea locus. Illud ex te in præsentia requiro, quibus rationibus compereris, bestiam hanc septimi decimi capitis eandem esse cum ea, quæ 13. describitur. Nam & si disertè negare non ausim, ne planè quidem id affirmari posse video. cum neque scriptores consentiant, neq; quicquam earum simile describatur, præter numerum capitum, cornuumque. Nam prioris pedes, & corpus totum quale sit scriptura commemorat: huius hæc silentur omnia. Huius color diligenter adnotatur: illius coloris nulla fit mentio. illius cornua diadematis ornabantur: huius

nullum commemoratur diadema, illa in capitibus habebat blasphemiæ nomina, hæc iis plena erat, illa nullũ gestabat: hæc purpuratam meretricem. Vt satis videre non possim, cum nihil præter capitum cornuumq; numerum habuerint commune: qua ratione tam certo eandem esse pronuncies. Præcipuè cum Apocalyp. 12. describatur draco rufus habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus eius diademata septem, isque Satanas, ac Diabolus esse commemoretur. qui cum colore conueniat cum hac capitis 17. bestia, cetera non dissimilior sit, quam bestia cap. 13. cur hæc visio ad illam potius, quàm ad Draconem referatur? Aut si capitum, & cornuum numerus, colorque persimilis satis non est, vt eadem esse bestia affirmetur: cur solus ille numerus satis erit, vt eandem hanc, cum illa bestiam reddat?

Iam in eo falsarius est quod doceri nos ait Apocalyp. 13. vers. 14. in septimo illo rege imaginem sexti repetendam, nihil enim eiusmodi toto eo capite, ac ne libro quidem Apocalypseos, scribitur. Quanquam non video quid effecturus sit, etiam si id illi concessero: cum necesse non sit, inter imaginem, atque id cuius ea imago est, exactam similitudinem reperiri, fierique possit, vt sit imperium simile; quamuis in regum successione non congruat.

2. *Diluitur altera Abbati ratio.*

Altera Abbati ratio ad probandum longam regum successionem Antichristi regno contineri ex eodem Apocalypseos 17. capite ducta his ab eo verbis eadem secundi capitis sectione explicatur. *Illa orbis dementatio*, inquit, *qua gentes omnes, & populos, & reges inducet Antichristus; vt stupra cum illo, & fornicationes exerceant, non vnius sæculi opus est, non opera vnius hominis; sed insinuata*

nuata paulatim, & sensim apostasia perficienda. Cum enim fornicationes legimus, cum meretricem audimus, non tã vim, & coactionem, quàm solicitationes, & blandimenta & meretricias artes cogitamus. Qua in ratione multa inuoluit, & implicat; quæ vbi euoluta, atque explicata fuerint, stuporem, ac debilitatem mẽtis eius facile prodent: quod enim, fieri posse negat, vt tam breui tempore orbis terrarum à Christianis ad prophana sacra transeat; libro superiore abundè confutatum est, cum hanc ipsam rationem aduersus Patres attulisset. quod, quæ de purpurata meretrice vaticinatur Spiritus sanctus, ad Antichristum deriuat: vim ipsis vaticinij verbis facit; ac nullo alio fundamento nititur, nisi quia ita libet. Disertè enim docet Beatus Ioannes, ea muliere ciuitatem magnam significari, quæ habet regnum super Reges terræ, quare nisi aut Antichristum in ciuitatem aut ciuitatem cõuertat in Antichristum: tueri eã interpretationẽ non potest. Illud vnum effugium reliquũ est, vt quæ in ea vrbe, quam eius futuram regiam somniat, ab Antichristo gerenda sunt: ea tribui vrbi ipsi ad eum modũ dicat; quo Hierusalem in Euangelio dicitur Prophetas occidere, & lapidare eos, qui ad se missi sunt. Quo loco de sede Antichristi non disputo: sit sanè ita, vt sectarij fabulantur; futura sit aliquando ea vrbs Antichristiani imperij caput; illud quæro. quibus indiciis deprehendit Abbatus, hæc mulieri tribui; quod ab Antichristo potius, quam ab vllo alio Regum pertractanda in ea fuerint? Mulier quidem certæ bestiæ, quæ Abbato Romanum imperium denotat, non vni alicui capitum insidet: Et qui ante Christi aduentum eam Rempublicam gubernarunt, quos iste quinque capitibus exprimi existimat, idololatriæ, quæ in scripturis passim fornicatio dicitur,

ita fuere dediti: vt prophanis iis religionibus salutem publicam contineri existimarent. Atque vt agnoscas turpissimè prostitutam omnibus meretricem; cum pene omnibus dominaretur gentibus: omnium gentium seruiebat erroribus. Et magnam sibi videbatur assumpsisse religionem: quia nullam respuebat falsitatem. Vt ibi fuerit per Apostolos omnium sacrilegiorum impietas destruenda: vbi deligentissima superstitione habebatur collectum, quicquid vsquam fuerat vanis erroribus institutum. hoc est enim de veteri illa Roma Beati Leonis elogium sermone primo in natali Apostolorũ Petri & Pauli. Quæ sacra, religionesque sacrilegas, tanto in honore semper habuere Romani Principes; vt eorum tuendorum causa tam multis, tanquam acerbis persequutionibus vexarint Ecclesiam, quam ob rem etiam mulier ebria dicitur de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu. Quam igitur ob causam hæc ad Antichristum potissimum referenda censet Abbatus, non ad reliquos eos reges qui Romanum Imperiũ administrarunt? Atque hæ omnes omnino sunt Abbati pro sua illa longa Antichristorum serie rationes, inuictę illæ, atque certissimæ, quæ hominem, etiam inuitum, ac reluctantem à Patrum interpretatione sententiaque deduxerunt. Et tamen doctor inscribitur, & demonstrationes crepat. Sed iam qua ratione Bellarminianas rationes diluat, audiamus.

9 *Defenditur prima Bellarmini ratio.*

Sectione 5. Primum Bellarmini argumentum conatur soluere: ducitur id ex verbis Domini Ioannis 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo; illum accipietis.* Quem locum de vno Antichristo intelligi debere probat Bellarminus ex Chrysostomo, Cyrillo, Ambrosio, Hieronymo, Augu-

stino

gustino, Irenæo, Theodoreto; quorum Abbatus testimonio nihil mouetur. *Tu* (inquit) *nomina quidem apponis quorundam, qui de Antichristo illum exponunt; sed non mouemur nuda nominum auctoritate sine momento rationis.* At quam tu contra rationem affers, qua probes tantorum Patrum, quos tu pro tua singulari pietate pro nudis nominibus habes, interpretationem constare non posse? Certè negare non potes, quin tam multorum virorum, nisi quid aliud obstet, tanta consensio grande momentum habeat ad faciendam fidem; nam neque temere, vt se quidque primo obtulerat, neque leuibus de causis quidquam affirmasse tam multi, tanta sapientia, tam in scripturis versati viri credendi sunt. At tu nihil affers contra, nisi quod in soluendis Bellarmini rationibus totus es. Quasi verò si ostenderis, posse ea verba ita intelligi, vt tu intelligenda contendis; continuò victoriam reportaturus sis. cum tamen, quia nostra Patrumque nostrorum ea possessio est, ac iam ante ea interpretatio obtinuit in Ecclesia; deiicere nos de possessione non possis, nisi probaueris iniuria nos possidere. Sed solutiones ipsas Abbati inspiciamus. *Hic*, inquit Bellarminus, *Dominus opponit sibi alium hominem, hoc est, persona personam, non regnum regno, neq; sectam secta, vt patet ex illis vocibus, Ego, Alius. In nomine meo, in nomine suo, me, illum, sicut ergo Christus vnus & singularis homo fuit; ita & Antichristus vnus, & singularis homo erit.* Hanc tu rationem vt soluas, primo negas parem esse rationem. *Nam Christus quidem*, inquis, *vnus est, nec potest intelligi præter quã vnus, at alius à Christo infinitam habet significationem, & poterit hunc, & illum, & alterum notare; & distributiuè omnem, qui aduersus Christo est.*

sto est. Itaq; clarissima exit sententia. Si alius venerit, hic aut ille, aut quicunque illum recipietis.

Sed quo te cunque vertas vt effugias, nihil efficis. Nam vox illa, Alius, non ita habet infinitam significationem; vt plures simul comprehendat: sed ita, vt cum de quolibet indiuiduo homine affirmari possit, qui nõ sit Christus: singillatim tamen de singulis affirmetur; quod non est huic voci proprium; sed est cum omnibus pronominibus commune, nam pronomen ipsum, Ego, potest à quolibet homine de se ipso affirmari: nunquam tamen, nisi singularem personam significat; quamuis igitur, quia nulla certa persona pronomine illo, Alius, denotatur, non constet quis ille alius sit, de quo Dominus loquitur, ac de quolibet alio dici potuerit: multitudinem tamen non admittit; sed vnum aliquem, singularemque significat, quicunque demum ille sit. Ergo Abbatus, quia vox illa, Alius, nullum certum hominẽ ita notat, vt alium æquè designare non possit: perperã colligit, plures eo nomine significari. quod est argumẽtari à disiuncto ad coniunctum; sic enim ratiocinatur. Pronomen, Alius, significat hunc, vel hunc, vel hunc, ergo significat hos simul. qua argumentatione nihil est Euangelio dignius.

Quod si ita interpretari verba Domini velis: si alius, hic, aut ille venerit, Illum recipietis, nos ex lege disiunctarum propositionum continuò concludemus, Ergo si hic venerit, ille nõ veniet; vel si hunc recipient, illum non recipient. Vnus ergo ille, atque solitarius erit, qui venerit, quenque recipient: quamuis non constet, quis ille sit. Sed quia solutionem illam labare vides fulcimẽtum vt cunque adhibes.

Et alium quidem, inquis, *cum dicitur numero singulari plura-*

pluraliter tamen intelligi posse, patet ex eo, quod apud Ioannem, &c. Atque exempla nonnulla profers, quibus probes, numerum vnitatis pro multitudinis numero adhiberi aliquando solere; & quasi iam parta victoria; Cum certum sit iis in locis numerum pro numero poni, quæris, ecquid repugnaturus sit? ac tandem. *Quod si non dixeris*, inquis, *& vtiq; non dixeris, nec illud, nisi peruersè, asserere poteris, Alium, in verbis Christi de vnico tantum homine sumi debere.* Possem si in examinandis ineptiis tuis ocium liceret perdere; ostendere; ne exempla quidem, quæ profers, ad rem tuam admodum facere: sed quia dubitari de re ipsa non potest, quamuis tu eam non appositè probes, dissimulandum est. Concedo igitur tibi numerum interdum pro numero vsurpari, & in scripturis, & in communi vsu loquendi: nego tamen te quicquam efficere. Nam natura sua numerus vnitatis vnum, idq; singulare significat, eaque loquutio, qua vel plura vnitatis, vel vnum multitudinis effertur numero non sine figura. & schemate quodam orationis est. Quare nisi ex adiunctis, rebusque ipsis, de quibus est sermo, alio traducantur; atque, vt Lutheri tui verbis vtar, manifesta circũstantia cogat, reliquẽdi naturæ, atque ingenio suo numeri sunt. Quid autem est in iis Christi verbis, quod numerum multitudinis intelligi eo vocabulo cogat? cũ potius tam exquisita illa singulorum verborum antithesis, quæ tam accuratè contulit Bellarminus, indicet, singularem vt voce, ita re numerum illum esse debere. Vter igitur peruersè, Bellarminus ne, qui quod singulari numero scriptura commemorat, cum nihil sit in ea oratione, quod pluralem numerum subesse demõstret, singulare esse confirmat; an tu, qui quasi dictatoria potestate in alienam significationem numerum trahis? At

profecto, si Dominus de pluribus loqui voluisset; multò aptius eo loco multitudinis numerum vsurpasset: quod illustriore antithesi multo magis inexcusabilem Iudæorum nequitiam, impietatemque reddidisset; qui cum multos alios accepturi essent; Christum vnum repudiarent.

Excipis denique quod ipso teste, atque interprete Bellarmino capite primo de Antichristo, verba Domini Matth. 24. Multi venient in nomine meo dicentes; Ego sum Christus, de Antichristo intelligenda sunt. *Quod si*, inquis, *de Antichristo exponendum sit. Multi venient in nomine meo*,&c. *Certè Antichristus non vnus, & singularis, sed alius & alius in multitudinem intelligendus est*. Sed quia, ne sic quidem satis consultum blasphemiæ tuæ videbas; cum vel ex hoc satis constaret Pontificem Romanum Antichristum esse non posse, cum nunquã Christum se se affirmauerit, aliò scripturas detorques. *Et est quidem*, inquis, *in altero horum locorum alterius explicatio, & quod apud Ioannem legitur, si alius venerit in nomine suo*,&c.*idem ipsum est quod apud Matth.habetur*; *Multi venient in nomine meo*,&c. *Vtroq; notantur, propriè præstigiatores illi, qui Iudæis postea fraudem fecerunt, quales fuisse legimus Simonem Magum, & Theudam, & AEgyptium illum Barchocebam, & reliquos illos Magos, & impostores, qui dum se Christos, & Prophetas, & liberatores confictis quibusdam miraculis ostentarunt; cæcam, & insanam Iudæorum turbam ad seditionem incitarunt, & hostium manibus perdẽdos tradiderunt*.

At vide quam nihil etiam tum sapias, cum tibi maximè sapere videris. nunquam dixit Bellarminus de solo Antichristo ea Domini verba Matth. 24. intelligi debere; neque enim id ad rem, de qua tunc disputabat.

mul-

multum intererat; sed docuit tantum, ex Matthæo 24. Antichristum affirmaturum se ipsum esse Christum, quod profectò verum esse potuit, etiam si bis mille futuri essent, qui pro Christo se se Iudæis venditarent. Dominus enim eo loco multa vna responsione complexus est, quia discipuli vna interrogatione multa quæsierant. Cùm enim dixisset Dominus fore, vt ita dirueretur tẽplum, vt non remaneret lapis super lapidem, quod de euersione Hierosolymorum intelligendum erat. illi cũ Hierosolymitanum excidium in fine mundi futurum crederent, Dic nobis, inquiunt, quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi. Quoniam autem futuri erant qui se Christos (& tunc temporis, & nouissimis temporibus) facerent, ne vt credula est expectatio, adesse eum discipuli continuò crederent, quem expectarent: ab vtrisque cauendum admonet, vna vtrosque responsione comprehendens. Videte, inquit, ne quis vos seducat; Multi enim venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus. Quod in vniuersum præfatus, singula persequitur, monetque discipulos instare bella, & fames, *&c.* Quæ quamuis necessariò præcedant, non tamen esse signa imminentis iudicij. Oportet inquit, hæc fieri: sed non dum finis. Et hæc omnia initia sunt dolorum. Addit deinde persequutiones, quas ab externis hostibus passura erat Ecclesia, tum scandala, & mutua fidelium odia, & Pseudoprophetarum, hoc est, Hæreticorum, iisque similium dolos, multorum defectionem, & propè extinctam iniquitatis abundantia charitatem. denique prædicabitur, inquit, hoc Euangelium regni in vniuerso orbe in testimoniũ omnibus gentibus; & tunc veniet cõsummatio. Quam consummationem ab vltimo Ecclesiæ, eoque maximo,

S 2 ac mo-

ac molestissimo labore exorsus, diligentissimè explicat. quanquam, quia discipuli cõsummationem sæculi, posteriorem eius aduentum, ac Hierosolymitanum excidium, alioqui imminens, coniunxerant; orationem suam ita temperat, vt nonnulla eorum, quæ dicit, tum ad paulò post futura, tum ad nouissimas tribulationes possint referri. Cum ergo videritis abominationem desolationis, *&c.* Tunc, inquit, si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, ecce ibi, nolite credere. surgent enim Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi, quæ de Antichristo Abbatus ipse sect. capitis huius secunda interpretatus est. Neque verò etiam si maximè velimus locus hic aliam interpretationẽ admittit. Nam hæc de Pseudochristis præfatus; statim inquit, post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur, & tunc parebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, *&c.* quæ cum de die Iudicij dicta esse nemo non videat, ac statim post tribulationem dierum illorum, quibus Pseudochristi, ac Pseudoprophetæ surrecturi sunt, futura prædicat Dominus; quis est tã excors, ac stolidus, qui alio referẽda putet, quæ de Pseudochristis, ac Pseudoprophetis dicta sunt, quam ad tribulationem quæ proximè iudicij diem antecessura est? Quoniam ergo tum eos, qui statim post suum in cælum abscessum extiterunt; tum eos, qui extremis mundi tẽporibus futuri sunt, Pseudochristos, qui dicturi erant. Ego sum Christus, initio sermonis sui comprehendit Dominus: verè, ac sapienter affirmare potuit Bellarminus

nus Antichristum qui nouissimorum temporum, aut præcipuus, aut etiam vnicus Pseudochristus futurus est, affirmaturum se esse Christum.

Iam quod ad Theudam, Simonem Magnum, Ægyptium Barcocebam, & alios, qui belli iudaici tempore extiterunt, & hunc Matthæi, & illum, de quo agimus, Ioannis locum referendum putas, vt idem sit, quod apud Matthæum dicitur, Multi Pseudochristi surgent dicentes. Ego sum Christus, & quod apud Ioannem, si alius veniet in nomine suo illum accipietis; nę tu fecisses consultius, si integrum Maldonati, ex quo hæc corrasisti, locum adscripsisses. quanquam enim veritatem non omnino assequereris: at ab ea certè non penitus aberrares. Nam vult ille quidem geminos hos esse scripturæ locos, sed tamen vtroque, tum impostores illos, tum Antichristum, atque extremorum temporum Pseudochristos comprehendit. At tu, dum incommodare tuis metuis; trunca quædam ab eo, ac mutila mutuatus, substentare nullo modo potes, quæ dicis. Quem enim horum publico consilio, atque ita acceperunt Iudæi; vt id non temerè recentis multitudinis potius, quàm totius gentis factum vocari posset? quod si priuatos multitudinis concursus respicias, cum ad neminem vnquam aut frequentius, aut constantius, aut illustrius multitudo concurrerit; Christum etiam accepisse Iudæi dicendi sunt. Nam & venienti Hierosolymam ad diem festum in celeberrimo gẽtis totius conuentu, in oculis omniũ ordinum, tanta multitudo processit obuiam, tanque secundis totius ciuitatis acclamationib. exceptus est; vt Pharisæi, teste Ioanne capite 12. quererẽtur, quod totus mundus abiisset post eum, & principes ipsi sacerdotum, cum maximè manus in eum iniicere cuperent, tamen

multitudinis metu, quia sicut Prophetam eum habebãt tandiu continuerunt se se, dum Iudæ proditione solus à militibus caperetur. Quam multa verò mortalium millia fuisse necesse est ea, quæ cum pagis, oppidisque relictis, triduum etiam interdum, per deserta loca sequebantur? Cum virorum, qui sexus, ætasque vt natura constantior est, ita minus facile quàm aut pueri, aut mulieres commoueri, atque allici ad diuersa studia solet semel quatuor, iterum quinque millia in solitudine excipienda conuiuio fuerint, ne deficerent in via. Neque in sola eius admiratione posita ea plebis beneuolentia fuit: cum non minore diligentia per deuios mõtium saltus soli fugiendum fuerit, ne raperetur ad regnum: quam qui eius studio tenentur, illud aucupari soliti sint. Quare cum acceptum se à Iudæis Dominus negat, ac futurum prædicit, vt alium olim in nomine suo venturum accipiant: de ea sine dubio acceptione intelligendus est, quæ publico consilio, ac totius gentis nomine fiat: qualem nullam nunc vsque vidimus, ac futuram, quia diuina veritas nec falli potest, nec fallere, qui Christo Dei filio credimus sine vlla hæsitatione expectamus.

Nam Simoni Mago Samaritano, hoc est, Iudæis maximè abominato homini, vbi est inter præstigiatores eos locus, qui ab Iudæis auditi, cultique sunt? Collegisse quidē vir doctissimus ex Irenæo libro primo cap. 20. sibi visus est, cum postquàm à Petro sacrilegæ nundinationis damnatus, atque eiectus est, ad dementandos præstigiis suis Iudæos conuertisse sese: sed ille Irænei locus nihil eiusmodi continet. Hic, inquit (Simon) à multis quasi Deus glorificatus est, & docuit semet ipsum esse, qui inter Iudæos quidem quasi filius apparuerit, in

rit,in Sammaria autem quasi Pater descenderit,& in reliquis verò gentibus quasi Spiritus sanctus aduentauerit: Qui autem consequens est,quia is eum ipsum esse se docuit, qui apud Iudæos in terris visus, & cum hominibus quasi Dei filius conuersatus est, cum re vera Iudæorum etiam animos,vt ad se deficerent solicitare ausum esse? Iustinus quidem certè Martyr gentilis eius, quique ab ea tempestate propius aberat,cum Apologetico 2. de iis gentibus scribat, apud quas ille versatus,atque in honore habitus est; Iudæorum non meminit. Ac ne Iosephus quidem: qui tamen Iudaicam sui temporis historiam accuratissimè prosequutus, ceterorum, vel præstigiatorum vel factiosorum hominum, qui modo alicuius nominis apud Iudæos habiti sunt, mentionem facit, Simonis ne meminit quidem. Vt aut Iudæa penitus abstinuisse, aut nihil in ea memoratu dignum Simō gessisse dicendus sit. Quando igitur tam aperta veritate conuictus, eum qui in nomine suo venturus apud Ioannem dicitur, Christi sibi nomen inditurum negare non potuit. Inueniat nobis Abbatus vel vnum,qui eo tempore Christi sibi nomen indiderit, atque à Iudæis acceptus, cultusque sit: ac tunc demum locum hunc Ioannis ad eum liberè transferat. Nam Theudas quidē, & post illum Ægyptius ille præstigiator, & qui Iudaici belli tempore sectarum fuere Principes, nunquam se Christos appellasse, aut pro Christis obtrusisse memorantur. Simon Magus, qui eundem esse se cum Christo Domino blasphemabat,à Iudæis vel quod tam inuisum iis, vel eius, quem esse se mentiebatur, vel Patriæ suæ nomen esse non ignoraret, vel quod ad occupandam ipsam imperij sedem festinaret, quantum quidem ex veteri historia colligi potest, prorsus abstinuit. Addis deinde

inde vocabulum, Nominis, ambiguæ significationis esse, atque iis quidem verbis Multi venient in nomine meo, Matthæi 24. significari, fore vt impostores illi Messiæ sibi nomen assumant: Ioannis autem 5. cum Dominus dicit venturum alium in nomine suo, idem significari, ac si diceret, nutu, ac voluntate sua non ab alio missum, sed sui furoris amentia.

Quo loco parum candidè tu quidem aliam eius vocis significationem, eamque maximè huius loci propriam dissimulas; aliam aut per te ipse fingis, aut quia tibi, summo videlicet magistro etiam sine ratione, credendum est affirmanti, è tripode pronuncias. Nam venire in nomine alicuius in scripturis dicuntur quidem ij, qui sibi nomen alicuius vendicant, vt Matth. 24. Multi venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus: at venire in nomine alicuius idem esse, ac venire impulsu, nutuque eius, in cuius nomine venire quis dicitur; quamuis ab eo mitti se neget, atq; alterius cuiusuis potius nomen obtendat: hanc verò vim loquutionis huius vbi scripturarum inueneris, ne commentum tui cerebri videretur, proferre debuisti. Nam alioqui, cui vnquam sano, neque tui simili persuadebis: si quis, cum à Domino missum se diceret, in arcem admissus eam deinde occuparit: eum in nomine suo, non eius à quo missum se mentiebatur, venisse? Illa quidem certè significatio, quam tu, ne tibi officeret, omisisti, magis fluens est, magisque cum communi loquendi ratione consentiens: vt venire in alicuius nomine dicantur ij, qui missos se ab aliquo dicunt, atque eius nomine nunciant, si quid nunciandum est, quod legatorum, atque Apostolorum est proprium, qui eorum, à quibus mittuntur, nomine res agunt. Hinc illud tam vsitatũ Prophetis initi-

initium vaticinãdi, Hæc dicit Dominus; cui respondet planeque geminum est, venire, vel vaticinari in nomine Domini. Cuius indicium est, quod vt olim dictum est Ierem. 14. de Pseudoprophetis, Vaticinantur in nomine meo; non misi eos; ita apud Ezechielem 13. Vident vana, & diuinant mendacia dicentes, ait Dominus, cum Dominus non miserit eos: Ex quibus locis, cum planè gemini sint, apertè colligitur, idem esse vaticinari in nomine Domini, atq; dicere, Hæc dicit Dominus, quam loquendi, atque obtendendi diuini nominis rationem, & qui vera vaticinantur, & qui diuinant mendacium; æquè vsurpant. Quare vtrique vaticinãtur, ac veniunt in nomine Domini: Sed hoc tamẽ interest. quod illi cum non mittantur, legatione non funguntur, sed fungi se simulant: hi verè Dei legati sunt; hi verè veniunt in nomine Christi, illi venire se mentiuntur, atque imposturis suis diuini nominis auctoritatem prætexunt. Venire igitur in nomine Domini idem est, ac diuinam præ se legationem ferre; quam tu loquutionis huius significationẽ ex scripturis doctus à Bellarmino in hoc ipso, quem calumniaris loco; cur tandem aut dissimulasti, aut ita inuoluisti, vt in scriptis tuis non appareret? Iam verò vt intelligas, quam nihil præclaro tuo commento profeceris, vt concedam tibi posse aliquando pro eodem in scripturis accipi venire in nomine alicuius, atque iussu, impulsuque alterius venire, quamuis eius, qui miserit, nomen prematur; ipse te tamen Abbate tuis ineptiis iugulasti. Quis est enim hominum, qui nesciat Christum non solum nutu, ac voluntate Patris in mundum venisse; sed id etiam quoties se occasio obtulisset, disertè contestari solitum esse? Vnde igitur colliges verba illa, Ego veni in nomine Patris

T mei,

mei, in commentitiam tuam illam potius, quàm in hãc significationem accipi oportere? cum ea & magis obuia sit, & rebus ipsis gestis melius congruat. Quod si dederis (qui autem potes non dare? quamuis deploratæ impudentiæ sis) tuis te verbis rationibusque conuenio; sic enim hoc ipso loco scribis. *Christus venit in nomine Patris, missus scilicet à Patre, mandatum habens à Patre, virtute Patris suffultus, & munitus auctoritate nominis illius. Quod ergo alius veniet in nomine suo; ad legem oppositorum intelligendum est, veniet nimirum suis auspiciis, suo arbitrio, nullum habens à Domino mandatum, quo nomen eius iustè pro se opponere, sibiq; fidem, & auctoritatem vendicare possit.* Aio verò, sed illud præterea vrgeo; quando ad oppositorum regulam ea verba interpretanda sunt; Christus paterno impulsu auspiciisque ita venit; vt ab eo se missum contestaretur, idque significatur, cum dicitur venisse in nomine Patris sui; ergo qui dicuntur in nomine suo venire, ita suo arbitrio, atque animi inductione venient; vt non alienum, sed suum nomen prætexant; neque vim potestatemque suam aliunde ductam, sed ex se se aptam confirment. Quod si quid excipiendum in hac argumentatione putas: vide ne in tua quoque eadem exceptio locum habeat. Iam illud planè puerile sophisma est, quod subdis his verbis. *Imò venturum Antichristum more Pseudoprophetarum omnium in nomine Domini; tu ipse non diffiteris, qui de Antichristo accipis, vt supra dictum est, quod habetur apud Matthaeum. Multi venient in nomine meo, & inde colligis, quod Antichristus se ipsum esse Christum affirmaturus sit. Quod si sepulto suo nomine Christi sibi nomẽ, & Dei vt tu vis arrepturus sit, & se Christum, ac Deum affirmaturus, quo vestra omnium defensio semper tẽdit: qua tu illũ ratione suo in nomine venturũ interpretaris? nisi quam à nobis*

habes

habes traditam loci illius sententiam, sequaris. Quibus verbis nisi fallendæ plebeculæ studio volens fallis; næ tu pędagogo, ac flagris indiges. Quæro enim ex te primo, omnes ne Pseudoprophetæ Christos se ac Deos esse docuerint; vt omnium Pseudoprophetarum more, venturum in nomine Domini Antichristum ex eo colligas; quod is Christum se ac Deum affirmaturus sit? Deinde ludis ambiguitate vocabuli, nam Matthæi 24. vt Dominus ipse interpretatus est venire in nomine Christi, est Christum esse se dicere; qua ratione Antichristus in nomine Christi venturus est; At Ioannis 5. venire in nomine alterius, est alterius voluntate, nutuque missum se esse profiteri: qua ratione Antichristus non in nomine Domini, sed in nomine suo venturus est. quod in alios Pseudoprophetas non conuenit; qui quamuis mentirentur: ad Deum tamen vaticinij sui originem referebant, cuius imperio missos se esse profitebantur. At ille primum se principium facturus est, neque vlli omnino concessurus suæ originis dignitatem. Quare tu ineptissimè in Bellarminum illud subiecisti; *Ineptissima est expositio tua, Veniet in nomine suo; id est. nullum Deum agnoscet, sed extollet se*, &c. *Cum eum defendas Dei nomen vsurpaturũ; vt extollat se, quia in suo nomine non satis se præsidij habiturũ confidet.* Quasi verò fieri non possit; vt quis Deum esse confirmet, & tamen Deum agnoscat à quo missum se esse fateatur, cum Christus, quem Patrem, eundem appellauerit Deum suum, ac nostrum, atque ab eo missum se toties glorietur, dignitatem illi principij deferens; cũ tamen, nisi quid secus ab Caluino didicisti, Deum esse se se, tam sæpe docuerit; aut si id negas, nunquam negauerit quidem certè, nihil vnquam dixerit, quo diuinitatem sibi suam abrogaret.

Ex quibus etiam apertissimè tua illa sectionis quintæ clausula confutatur, vbi eam Bellarmini rationem videri vis soluere, qua probat, vnum quendam ac singularem hominem futurum Antichristum; quia Dominus docet eum à Iudæis recipiendum pro Messia; cõstat autem Iudæos vnum quendam singularem hominẽ expectare. Cum etiam in virum clarissimum his verbis inueharis. *Præsumis arte sophistica, quod tibi probandum esset, & de quo probationem nullam afferre potes. Neq; enim quicquàm habes vel hic, vel alibi de scripturis, quo confirmes Antichristum à Iudæis pro Messia vel quoquo modo recipiendum esse. Hunc autem locum (Ioannis 5.) de multis illis intelligi Iudæorum Pseudochristis, magnarum illis calamitatum auctoribus, iam declaratum est.* Nam veritatem tu quidem sophismatis tuis inuoluere, ac lectorum mentibus tenebras offundere voluisti, sed caligine tua obrui lux tãta non potuit. Quæ cùm ita sint, cumque locus hic Ioannis de multis illis tuis Pseudochristis non possit intelligi; sed de alio quodam extollente se supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, qui etiam eam ob rem in nomine suo venturus dicitur; quemque Iudæi, qui compresserunt oculos suos, ne oblatam sibi diuinitus Euangelij lucem aspicerent, tenebris eius delectati pro Christo Deoque recepturi sunt: non præsumit, vt tu calumniaris, arte sophistica Bellarminus id, quod probandum est, sed assumit id, quod Christo reuelante certissimum est, ad blasphemias vestras refellẽdas.

10. *Defenditur alia Bellarmini ratio.*

Sectione 6. vt non multum ab Ethnicis Caluiniani distatis, Herculem vt te iuuet, obtestatus, Bellarminũ reprehendis, quod puerilia nescio quæ de Græci articuli potestate docuerit. Is porrò cum protulisset locum ex 2. Thes-

Thessalon. 2. *Hæc verba* inquit, *etiam aduersarij intelligunt de vero Antichristo; sed Apostolus loquitur de certa quadam, & particulari persona, vt patet ex articulis græcis, ἀποκαλυφθῇ ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας*, & infra, *καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος, vt enim docet Epiphanius hæresi nona, quæ est Samaritanorum, articuli græci contrahunt significationem ad rem vnam certam, ita vt ἄνθρωπος significet hominem in communi, at ὁ ἄνθρωπος, hominem singularem*. Quem tu Bellarmini locum his verbis exagitas. *Quod Epiphanius erudite monet, tu improbe peruertis, & manifesta fraude quod apud illum est certum, ac determinatum, tu indiuiduum, & singulare esse prætendis.* Sed quia hoc ipsum effugium parum tibi tutum esse animaduertebas: nescio quam à te confictam exceptionem interponis. *Verum quidem est*, inquis, *quod ait Epiphanius, vbi de re certa, ac determinata agitur, rem illam certam de qua dicitur, aut quæritur adiectione articuli demonstrari solere: non est verum quod tu affers, vbicunque reperitur articulus adiunctus rem certam demonstrari, aut quæ certa demonstratur indiuiduam, & singularem demonstrari debere.* At tu, qui Bellarminum in suspicionem fraudis vocare conatus es, per summam fraudem agis, Abbate, nam is non verba, sed rem ipsam ex Epiphanio proferre se profitetur. Quid autem sibi velit Epiphanius, cum rem certam ac determinatam designari adiectione articuli docet; ipse disputationis eius textus apertissimè indicat. Fatuam enim Samaritanorũ superstitionem redarguit, qui mortuos abominarentur, quod scriptum esset in lege, si quis mortuum tangeret, vti immundus esset vsque ad vesperam; docetque mortuum, de quo eo loco loquitur Spiritus sanctus non quencunque, sed Christum Dominũ intelligi oportere, idque ex potestate articuli probat,

quod nominibus additus ad certæ rei significationem ea determinat: Quare cum nomen illud, Mortuus, cum articuli adiectione legatur eo loco; certum quendam, ac determinatum mortuum, non quemcunque significare necessariò debere contendit. *Insinuabat*, inquit, *hoc Domini nostri Iesu Christi mortificationem secundum passionem ipsius in carne. Ex articulo enim discretionem nominis significat: vbi enim articulus additus est, in vno aliquo determinato, ac manifestissimo omnino confirmatio propter articulum contingit; tum exemplis compluribus vsus ad rei huius explicationem rem ita concludit. Si quidem dixisset lex, si contigeritis νεκρῦ, id est, mortuum, de omnibus suffragium latum fuisset, & simpliciter omni mortuo quæsiti dictio incumberet. Cum verò dicit. Si quis contigerit τῦ νεκρῦ, ad vnum quendam fert dictum. Dico autem Dominum, velut supra à me declaratum est.* Qua autem ratione de vno quodam, atque singulari mortuo dictum id colligeret Epiphanius; nisi cum vnum quoddam determinatum articulo demonstrari affirmauit; indiuiduum, ac singulare intellexisset? aut cur eadem ratione Bellarmino non liceat argumentari? cum articulus vocibus illis adiectus ab Apostolo sit, cùm dixit hominem iniquitatis, filium perditionis, *&c.* de vno quodã singulari homine intelligi oportere. Præcipuè cum docuerit Epiphanius, quando articulus non additur, de vno item, sed indefinitè, atque indeterminatè nomen intelligi. *Citra articulum*, inquit, *de vno quocunque tandem, indefinitè accipiendum est, velut si dixero* Βασιλεὺς, *nomen quidem significauimus, sed non clarè eum, qui determinatur, ostendimus; regem enim dicimus & Persarum, & Medorum.* Cum igitur nomen sine articulo ex Epiphanio vnum quoddam, sed vagè atque indefinitè significet, ita vt de quocunque singillatim verè affirmari

mari possit, vt homo de quolibet homine, Rex de quolibet Rege singillatim; articulus autem vagam hanc significationem contrahat: certè ad vnum, ac determinatum indiuiduum significandum necessariò contrahit; nisi quid addatur in oratione, quod obstet. Iam exceptione illa tua quid ineptius? quid Abbato dignius fingi potest? verum esse quod docet Epiphanius de articuli potestate, vbi de certa, ac determinata re agitur; quasi verò cum de re determinata est sermo, nomen rē determinatam non significet, etiam si non adhibeatur articulus. Adde quod ex vi ac potestate articuli docet Epiphanius colligi, vbi is adhibetur, rem de qua agitur, determinatam esse; signum igitur est ex Epiphanij sententia, articulum vim habere vagam vocis eius, cui additur, significationem ad certam rem coërcendi. alioqui aut ex re ipsa tandē de qua agitur, contra quam Epiphanius docuit, potestas articuli colligetur, aut si ex vi articuli res determinata; è re determinata vis articuli colligetur: in derisum illum dialecticis circulum incidemus. Neque verò hæc eo disputo, quod existimem necessariò certum, ac determinatum indiuiduum articulo demonstrari; neque id aut Bellarminus ex Epiphanio, aut Epiphanius ipse docet, quod tamen tu dum expugnare exemplis niteris, inscitiam tuam prodis. Negas enim vbicunque repetitur articulus; rem certam atque indiuiduam demonstrari. Addis etiam interdum abundare, & restringendi vim nullam habere, *vt Lucæ*, inquis, *4. numero.* οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ὁ ἄνθρωπος. Atqui non magis eo loco vacat articulus, quam apud Italos, si dicant, l' huomo non viue solamēte di pane. quam enim ineptè ac barbarè diceretur? huomo nō viue solamente di pane. Nam eo loco articulus ἀνθρώπου nomē, quod

quod & naturam, & indiuidua naturæ complectitur, ad naturam significandam contrahit, idemque est, non in solo pane viuit homo, ac si diceret natura humana etiam sine pane viuere, sustentarique potest. Id adeò ex eo clarissimè demonstratur, quod eadem propositio in vniuersalem conuerti, atq; articuli loco notam multitudinis potest admittere. Fac enim ita, omnis homo à Deo etiam sine pane viuus conseruari potest. Vel ita, nullus homo ita pane indiget ad viuendum; vt etiam sine pane diuina vi conseruari non possit. Quis non videt eas propositiones & veras esse, & idem planè valere: quod illa Domini responsio, non in solo pane viuet homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei? qua autem ratione vera enunciatio illa esset, nisi vox illa, Homo, totam naturam eo loco complecteretur? Huc ea etiam spectant, quæ citas ex Matthæo 12. Bonus homo profert bona, malus homo profert mala, & ex Hebræorum nono, in secundum (Tabernaculum) solus Pontifex ingreditur, & illud nō vt sæpe offerat se ipsum, sicut Pontifex ingreditur in sacrarium quot annis. quibus in locis articuli additi Pontifici, & homini bono, vel malo ipsum Pontificis, ac viri boni, malique officium exprimunt. nam & naturalis ea viri boni, maliuè propensio est, vt bona, vel mala proferat, & Pontificis ita proprium est ingredi quot annis in sancta, vt omni, solique Pontifici conueniat: quare locū obtinent prædicati specifici.

Ceterum quia tu tam multus es in articulis, ac duas ferè integras sectiones de iis ineptiendo insumis, ea res à capite repetenda est. Nam articulus quidem natura sua semper certum quiddam constansque demonstrat, neque multitudinem, aut varietatem patitur: quia tamen

tamen nominum quædam certum quiddam ac singulare significant, alia quippiam denotant commune cum multis; cum articulus propriis illis nominibus additur significationem illorum, quia certa iam est, finire propriè, ac terminatè nō potest: finit tamen ac circumscribit vt potest, cum idem nomen pluribus impositum est; vnum quendam præ ceteris denotando, qui eo nomine appelletur, vel quod is excellat ceteris, vel quod ex ipso sermonis textu certus ille intelligitur, qui articulo designatur. Cum verò nomina appellatiua sunt, ac rem significant pluribus conuenientem; tunc verò infinita eorum significatio est. Quia cum res nomine significata inueniatur in multis, possunt eo nomine, & ea multa, in quibus, natura est, & res ipsa denotari. vt nomine hominis concreta in indiuiduis humana natura significatur, quæ quia ita in se vna ipsa est; vt cum sit in multis, multos constituat homines: vox homo potest & pro ipsa hominis natura, & pro singularibus hominibus accipi. & quidem cum naturæ nomen naturam ipsam significat; certum quiddam, atque in genere suo vnum significat. at cum pro indiuiduo sumitur; vagam habet neque finitam significationem; ita enim potest ad vnū naturæ humanæ indiuiduum referri, vt ad aliud eadem ratione pertinere possit: Articulus igitur, cū his nominibus additur, duplicem iis finitionem impertit. nam interdum ad naturam ipsam designandā nomina contrahit, vt cum solitariè dicimus ὁ ἄνθρωπος, vnde factū est vt apud Dialecticos, quemadmodum adnotauit Proclus, articulus vim habeat vniuersalis notæ, non quia indiuidua etiam comprehendat: sed quia, quæ naturæ alicuius propria sunt, ea omnibus etiam iis insunt, in quibus natura ipsa reperitur. nam alioqui cum vniuer-

ſali ſigno non benè articulus adhibetur; neq; enim benè dicimus, πᾶς ὁ ἄνθρωπος, ſed, πᾶς ἄνθρωπος, quia vniuerſalis nota, cum diſtributiua ſit, ipſa etiam indiuidua ſingillatim, vageque complectitur: quod ab articuli natura, ac poteſtate abhorret. Interdum naturam coanguſtat, & certæ vnius vel ſpeciei, vel indiuidui finibus includit ampliorem illam nominis ſignificationem. nã ſi nomen genericum ſit; articulus additus ad eam ſpeciem nomen reuocat, quæ vna præ ceteris generis naturã induerit. Sin autem ſpeciei ſit nomen, ad vnum quoddam certum, ac determinatum indiuiduum reſtringit. Quod tunc euenit, cum ea, quæ de nomine affirmantur, de natura ipſa vniuerſa verè dici non poſſunt: ſed vt verè dicantur, ad indiuiduum referre neceſſe eſt. tunc enim ratione adiuncti nomẽ pro naturæ indiuiduo ponitur; ratione autem articuli qui laxam illam incerti indiuidui ſignificationem non patitur, ad certum indiuiduum coarctatur. Atque hoc demum eſt quod Epiphanius eo loco docet, quodque ex eo Bellarminus profert. Id quod Beatus etiam Cyrillus libro primo in Ioannem cap. 4. pro minimè dubio aſſumit, ad probandum contra Eunomium, verbum, quod pro nobis factum eſt caro, idem plane eſſe, de quo ſcriptũ eſt, Deus erat verbũ. *Illud apprimè tenendum eſt*, inquit, *quod quando diuina ſcriptura nominibus ſecundũ græcæ linguæ vſum articulos præponit: tunc & vnum, & quod ſolum propriè, atque verè tale quid dicitur, ſignificat. articulo autem non adiecto, generalius cuncta deſignat, vt verbi cauſa multi vocati ſunt Dij, ſed quãdo cum articulo græca lingua Deus dicitur; tunc ſolus, & propriè Deus deſignatur; cum verò abſq; articulo Deus profertur; qui ad hoc gratia vocatus eſt, intelligitur. Sic cum homo ſine articulo dicitur, homo quiſpiam deſignatur: quando autem arti-*

articulus accedit, vnicum, atque singularem hominem denotat. ideò videmus filium hominis articulo ad vtrunq́ nomen præposito à Saluatore nostro proferri, quando se solum ab infinita hominum multitudine velit significare. Hæc cum ita se habeant: dicant quæso quomodo intelligendum sit, In principio erat verbum, cum huic vocabulo verbum, articulus sit adiectus? non enim potest, nisi ad vnum verbum, quod propriè, atque verè in principio erat, articulata referri oratio. Cur igitur frustra contendunt aliud nobis verbum adducentes; vt à dignitate, naturaq́ Patris filium depellant? Hic mihi iam Abbate qui quia græcula nescio quæ vocabula è male cōpactis lexicis corrasisti, eoque tibi videris linguæ græcæ peritior, quàm Epiphanius, & Cyrillus, Bellarminum increpa, quod pueriliter de articulis disputet; ac frigidas tuas illas, planeque insulsas exceptiones adhibe, vt ostēdas posse aliquando articulo etiam non certum indiuiduum designari. Quod cum magno tandem labore effeceris, ex te quæram; probaturus ne sis, vim eam non esse articuli; vt nisi textus ipse sermonis aliud exigat, ad vnum quoddam ac certum indiuiduum, nomen, atque oratio referenda ita necessario sit, vt ex eo firmum, ac solidum argumentum duci possit de certo aliquo indiuiduo sermonem esse, quia articulus adhibeatur? At ne tu quidem negare potes, ea Apostoli ad Thessal. verba non solum de ipsa hominis natura, sed ne de malis quidem, ac sceleratis hominibus in vniuersum intelligi, vt quemadmodum dicitur Matthæi 12. ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκβάλλει τὰ ἀγαθὰ, ὁ πονηρὸς ἄνθρωπος πονηρὰ. quia & boni viri est, bona, & mali proferre mala, eoque ipsa boni malique viri naturalis propensio significatur, ita cum dicitur, ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, intelligatur homo quilibet malus, & impius. Reliquum igitur est, vt

nisi quid Apostolo addatur, quod huic eius loci interpretationi officiat, de certo quodam, ac singulari homine ille locus exponatur. Quid autem est in iis verbis, quod nominis articulo affecti significationem aliò distrahat? Nisi venerit, inquit, discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus, *&c.* Hic quando tuis ingeniosus videris, quia cauillando callidè scripturas inuertis; ego quoque te ingeniosum putabo, si quid in his verbis inueneris tuis cauillationibus opportunum.

11. *Alia Bellarmini ratio defenditur.*

Sectione septima locum ex primæ Ioannis secundo capite eludere præstigiis tuis niteris, ἠκούσατε ὅτι ὁ ἀντίχριστος ἔρχεται, καὶ νῦν ἀντίχριστοι πολλοὶ γεγόνασι, quo loco animaduertit Bellarminus præponi articulum Antichristo propriè dicto; sine articulo vero efferri nomen Antichristi communiter accepti, ex eoq; colligit, Antichristum propriè dictum esse vnam personam certam; Antichristum verò communiter acceptum non esse vnam personam certam; sed in genere omnes hæreticos. Hũc tu locum duabus responsionibus conaris euadere. Nã primo quidem concedis articulum eo loco vim habere contrahendæ ad vnam, eamque certam personam orationis: sed negas ex eo effici, vnum etiam certum hominem designari. *Nam in corpore ciuili & Ecclesiastico*, inquis, *quale est de quo nos agimus, certa persona, non vno continetur hominis indiuiduo, sed hoc aut illo loco perpetua successione quencunq; designat. Singuli homines moriũtur, corpus manet, & membra certis officiis, & nominibus distincta.* Sed nisi cæcus es, tu ipse vides somnia te narrare, nõ interpretari scripturas. Nam politica ista tua persona nihil est

aliud,

aliud, quàm ipse Antichristorum ordo, qui idem in diuersis hominibus sibi in eo munere succedẽtibus semper manet. Quare si tibi credimus, idem erit; audistis quod Antichristus venit, ac si diceret, Audistis futurũ aliquando Antichristianum ordinem. qua autem ratione quæ sequuntur interpretaberis, vt sibi Apostoli sermo consentiat? Nam si ita exposueris. Et nunc multi Antichristiani ordines facti sunt; sibilis excipiere. Sin autem ita explicare malis, nunc multi homines sunt, quorum vnusquisque est Antichristus: dices tu quidem aliquid; sed oratio sibi non congruet. ita enim totus ille locus erit reddendus, Audistis fore vt aliquando Antichristianus quidam ordo inuadat Ecclesiam; at nunc multi iam existunt homines Antichristi: ita paucis verbis variatur nominis huius significatio, atque amphibolia cõmittitur. Cum potius in eodem orationis textu eodem modo accipienda sint nomina, nisi oratio ipsa reclamet. Adde quod ea antithesis quædam est; opponit enim eo loco Ioannes vnum futurũ, multis præsentibus Antichristis: at oppositarum propositionum ea lex est, vt de eodem opposita dicantur. Quare cum oppositio harum enunciationum consistat in tempore quod ille futurus sit, illi adsint, atque in numero quod ille vnus, hi multi sint: profecto constare Antichristi significatio, atque eadem retineri in vtraque propositione debet, alioqui illa numeri oppositio tollitur. neque enim pugnat ordinis vnitas cum hominum multitudine, quorum singuli Antichristi dicantur. quemadmodum quia Aaronicorum sacerdotum vnicus ordo multos sacerdotes comprehendebat; nemo nũc vsque adeò insanus fuit, qui crederet oppositas enũciationes

fore, ſi quis diceret, Aaronicus ordo ſacerdotum vnus eſt: Aaronici ſacerdotes multi ſunt.

At enim, inquis, *Moſes vbi ſcripſit in lege adducendũ eſſe ad ſacerdotem, qui de lepra mundatus eſt; certam perſonam vocabulo ſacerdotis indicauit, vnicum hominis indiuiduum non dixit. qui miniſtrum Eccleſiæ in certis cauſis conſulendum præſcribit; perſonam definit certam; quam tamen ſubeunt ſucceſſiuè plures homines ſingulares.* Sint iſta ſanè, quanquam, vt mox planum faciam, vera non ſunt. Sed tamen dentur iſta tibi, quid igitur? quia ne vno in loco perſona iſta tua politica locum habet; ideò nuſquam non habebit? an aliam aliis in locis verborum interpretationem nunquam ipſa ſermonis ſeries exigit? An quia nonnullis veſtrum in interpretatione ſomnij Pharaonis Gen. 41. cum dicuntur ſeptem boues pulchræ & ſeptem ſpicæ plenæ, ſeptem vbertatis anni eſſe; verbum ſubſtantiuum vim verbi ſignificãdi induiſſe viſum eſt; ideò etiam cum aut Chriſtus ſplendor paternæ gloriæ, aut filius hominis eſſe, aut cùm Iudas proditor, aut cum Pharao ipſe Rex Ægypti fuiſſe dicitur, ad verbi ſignificandi vim, ac poteſtatem continuo à naturali, atque inſita traducetis? Aut etiam vbi libitum fuerit, verbum alterum pro altero licebit nobis accipere? Ceterum ne cum delires, tibi ſapere videaris, quæro ex te, ſi quis vt ſanitatem recuperes, πρὸς τὸν ἰατρὸν, duci te iuſſerit; quam in Medico perſonam politicam vel Eccleſiaſticam excogitaturus ſis, quæ perpetua ſucceſſione mutatis indiuiduis eadem maneat? quando Dominus Matth. 8. Marci primo, ac Lucæ quinto attactu manus mundatũ leproſum iuſſit ire, & oſtendere ſe ipſum τῷ ἱερεῖ ordinem ne ſacerdotum, ac fictam tuam illam perſonam politicam, an hominem aliquem ſacerdotio præditum adire iuſſerit?

ferit? Nam si ordinem, vel personam politicam adiri, ridiculum est: igitur certo homini, qui tunc eo munere fungebatur, se se sistere eum iussit, atque ita tota tua ista argumentatio ruit. Cum enim Dominus Leuit. 14. quẽ tu locum adnotas, adduci πρὸς τὸν ἱερέα iubet, si quis mundatus fuerit, certum illum hominem intelligit, qui tunc temporis sacerdotio fungitur, quando leprosus valetudinem recuperauerit. qua re vt necesse non esset fictam istam, ac ciuilem sacerdotis personam intelligi, si dixisset Dominus, adducetur ad illum, qui tunc sacerdotio fungetur, ita ne in his quidem verbis adducetur πρὸς τὸν ἱερέα intelligi quicquam cogit. Quod si adiectus ab Euangelistis articulus amplam illam significationem nominis non contraxit ad certum hominem, sed cum eo tempore multi essent sacerdotes dignoscendæ lepræ præfecti; quorum vnum quempiam adiri sat esset; quẽadmodum cum dicimus alloquere medicum, τὸν ἰατρὸν, non certum aliquem hominem, neque ipsam Medicorum veluti speciem, quæ plura comprehendit indiuidua articulo illo designamus: sed articulus medicinam, certam artis speciem, denotat, quæ sit in aliquo indiuiduo homine quisquis ille sit, idemque est alloquere τὸν ἰατρὸν, ac si diceres; alloquere aliquem hominem medicinæ peritum: Ita cum Dominus aut adiri à leproso illo sacerdotem apud Euangelistas, aut Leuit. 14. adduci ad sacerdotem eum, qui mundatus esset, præcepit: idem fecit ac si dixisset, adeat hominem aliquem sacerdotio præditum. Qua re ea loquendi ratio non politicam quandam personam, quæ in pluribus indiuiduis eadem maneat: sed certam formæ speciem denotat in aliquo naturæ humanæ indiuiduo positam. Quod tu si ad Antichristum transferre volueris; non solum vaticinari videbe-

videberis: ſed incommodabis etiam rebus tuis. Interpretare enim eam Ioannis vocem, Audiſtis quia veniet Homo aliquis, qui Chriſto aduerſetur, ſeſeque extollat ſupra omne quod dicitur Deus. Vides quam ea loquendi ratio ab vſu communi ſermonis abhorreat, & tamen cauſam noſtram iuuet.

Altera tua reſponſio, eaque nihilo melior in eo poſita eſt: quod negas, quia Antichriſti vocabulo articulus addatur, continuo etiam effici, de magno illo Antichriſto potius, quàm de aliis intelligi oportere. Quod ego ſi tibi animi cauſa conceſſero: quid tandem effecturus es? non enim contendit Bellarminus, quia articulus addatur vocabulo, ideò de illo debere intelligi, qui propriè, & κατ' ἐξοχὴν dicitur Antichriſtus: ſed quia nihil eſt in verbis illis B. Ioannis, quod vim, ac poteſtatem articuli alio diſtrahat, atque ex ipſo textu orationis apertè patet, ibi de eo Antichriſto ſermonem eſſe, qui vnus præ ceteris dicitur Antichriſtus. Sed tu hoc ipſum quod ineptè aſſumis; ineptiſſimè etiam probas. *Obſeruandum eſt*, inquis, *Antichriſti nomen adiuncto articulo interdum efferri; vbi tamen de Magno illo Antichriſto, magis quàm de ceteris intelligi non debet. Locus eſt Prim. Ioannis 2. Quis eſt mendax, niſi qui negat Ieſum eſſe Chriſtum, οὗτός ἐστιν ὁ ἀντίχριστος, hic eſt Antichriſtus, & alter Epiſtola 2. Multi impoſtores ingreſſi ſunt in mundum, qui non confitentur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe; οὗτός ἐστιν ὁ πλάνος, καὶ ὁ ἀντίχριστος, hic eſt ſeductor, & Antichriſtus. quibus in locis manifeſtum eſt, Ioannē de illorum quoque temporum hæreticis agere, & nomine τοῦ ἀντιχρίστου nihil aliud velle, quam pro egregio quodam impoſtore, & Antichriſto habendum eſſe quemlibet eorum, quos permultos fuiſſe narrat, qui negarent Ieſum eſſe Chriſtum.* Ego verò ſatis mirari non poſſum vel inſcitiam, vel impudentiam

tuam

tuam. An tu tam es aut litterarum expers, vt nescias, aut profligatæ verecundiæ vt dissimulare audeas, nomina non appellatiua solum, verùm etiam propria ad alias res propter similitudinem sæpe transferri? vt quemadmodum ferocissimum equitem strages in prælio edentem:

Asperum
Tactu leonem, quem cruenta,
Per medias rapit ira cades;

Elegantissimus poëta appellare potuit; ita nō aptè modo, sed ornatè etiam, ac peruenustè dicere licuerit Romano Demostheni, cum summum oratorem in Bruto describeret, ita ex eius ore dicentis subsellia forumque vniuersum pendere debere; *vt qui procul videat, etiam si quid agat nesciat, & placere tamen, & in scena esse Roscium intelligat.* Neque verò cum futurum fuisse contenderet, vt Romæ multi existerent pingendi, fingendique præclari artifices; si id artificium maiore in honore habitum esset, non multò luculentius dixit, multos etiam apud suos Polycletos futuros, & Parrhasios fuisse. Quæ loquendi ratio vsque adeò à diuinorum oraculorum consuetudine non abhorret: vt non solum Matth. 16. Dominus Petrum Satanam, Ioannis 6. Iudam Iscariotem Diabolum appellarit: sed Matthæi etiam 10. testetur ipse & se Beelzebub à Iudæis dictum esse, & discipulos suos dictum iri, & Matth. 11. Ioannem, Eliā esse dixerit. Huc etiam reuocandum videtur illud Beati Ioannis, Audistis quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt. transtulit enim odiosissimum Antichristi vocabulum, magno illi Christi aduersario impositum, ad Hæreticos sui temporis: quod illum prauitate animi, atque impietate imitari viderentur. Porro

ne illud quidem inuſitatum eſt: vt cum ſignificare volumus eum, ad quem propter ſimilitudinem alterius nomen transferimus illi quàm ſimillimum eſſe, ὑπερβολικῶς illum ipſum eſſe dicamus, vt ſi quem velis dicere Neroni nihil immanitate concedere, Neronem ipſum eſſe dicas. Atque id quod Latini pronomine, Ipſe, in his loquutionibus exprimunt; Græcis plerunq; præſtat articulus, Id quod animaduertiſſe videtur etiã Henricus Stephanus in Theſauro. Quare idem erit quod B. Ioannes ſcribit, qui negat Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, οὗτός ἐστιν ὁ ἀντίχριστος, ac ſi Latinè diceres hic eſt ipſemet Antichriſtus, itemque illud, οὗτός ἐστιν ὁ πλάνος καὶ ὁ ἀντίχριστος, hic eſt ipſe ſeductor, atque ipſe Antichriſtus. Quamuis autem cum metaphoricè nominibus vtimur, non omnino illa quidem, ſed nonnihil tamen à ſua ſignificatione ad aliam traducamus, idemque ſit quod ille dixit: multos etiam Romæ Polycletos futuros, ac Parraſios fuiſſe, ac ſi dixiſſet, multos etiam Romæ pingendi, fingendique præſtantia ſimiles Polycleti futuros ac Parraſij fuiſſe: tamen cum alterius nomen alteri hyperbolicè tribuitur; nihil planè videtur à ſua vi, poteſtateque decedere. Nam qui Neronem ipſum aliquem eſſe confirmat; non illi ſimilem, ſed eundem ipſum eſſe cõfirmat. Quamuis ea loquendi ratione ſummam quandam eius cum Nerone ſimilitudinem velit exprimere. Qua re cum Hæreticos ipſummet Antichriſtum eſſe docet B. Ioannes: eo nomine magnum illum ſignificat Chriſti aduerſarium, cui propter excellentem impietatem nomen id quaſi proprium inditum eſt. neque quicquam ex iis locis aliud, quàm vel inſcitia, vel impudentia tua colligi poteſt.

11. De po-

Sectione octaua duo poſtrema Bellarmini argumẽta, quo-

ta, quorum alterum ducitur ex Danielis ſeptimo, vndecimo, & duodecimo, alterum ex Apocalypſis decimo tertio, & decimo ſeptimo, quia ſoluere nō potes, paucis verbis eludis. *Adducis*, inquis, *loco quarto & quinto ex Daniele & Ioanne, Antichriſtū nō vocari vnum regnum, ſed vnū regem, vt illum vnum hominem eſſe confirmes.* Quæ tu argumēta viri doctiſſimi poſtquam ita coanguſtata protuliſti, ne vim vllam habere viderentur, ita ſoluis: *Certum eſt*, inquis, *apud Danielem quattuor reges, non quattuor homines reges, ſed quattuor regum ſeries indicare, & eodem modo vnum regem, non vnum hominem regem; ſed totam regum in vno principatu ſucceſſionē deſignare, quare quod eſt hebraicè quattuor reges, vulgata verſio tua quattuor regna vertit.* Quibus verbis impudenter petis principium, qua enim ratione certum, atque exploratum eſt, vnius regis nomine non vnum regem hominem, ſed vnā regum ſucceſſionem deſignari? An quiſquam eſt tam hebes, qui non intelligat vnius regis vocabulo, niſi quid addatur, quod vim eius vocis aliò diſtrahat, vnum hominem, qui ſumma rerum potiatur ſignificari? Sint igitur Danielis *7. 17.* quattuor illi reges, quattuor regna, quia loci eius argumentum ita interpretari cogit: ideò ne etiā vbicunque apud Danielem regem legerimus, regnum intelligere nos coges? quid ſi longè alio nos ipſa vaticinij ſeries auocet; etiam ne regnum intelligemus? Nam ſi quattuor illæ beſtiæ, quas eo loco deſcribit Propheta quattuor regum ſucceſſiones ſunt: decem illa eius beſtiæ cornua, quæ tam conſtanter cum apud Danielem, tum in Apocalypſi memorantur, quibuſque decem reges indicari Spiritus ſanctus auctor eſt; quas regum nobis ſucceſſiones, quæue regna monſtrabunt? Neque verò potes ad varias ſummi magiſtratus in Romana Re-

ſtrema Bellarmini argumēta defenduntur.

publica formas confugere; nam eas tu cum sectione secunda diligenter conquireres, ne septem quidem inuenire potuisti, quas Apocalypticæ illius bestiæ capitibus comparares. at cap. illo 17. præter septem illa capita decem etiam cornua numerantur. Ad quæ deinde si Danieli cap. 7. 8. credimus, accessit vndecimum illud, quod versiculo 21. bellum cum sanctis gesturum prædicitur, quoque Antichristus designatur. Adde quod versiculo 24. ita legis: porro cornua decem ipsius regni decem reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit priorib., & tres reges humiliabit; quę tu qua ratione ad successiones regum, ac regna detorqueas, libenter ex te audiam. Iam caput vndecimum non modo interpretationem tuam nō exigit, sed nulla ratione pati potest. Describit enim eo loco singulos reges, qui sibi inuicem successuri sunt, & bella, ac res singulorū gestas perstringit: vt satis appareat eo loco regis vnius vocabulo vnū hominem regem intelligi oportere. Ad quæ si addas ex capite 12. regnum vltimi eius regis, quo Antichristum describit, non vltra tres annos, ac dimidium portendi: sole clarius efficies, de vno quodam homine eum locū intelligi oportere.

Ad locum autem Apocalypsis ita respondes, *illud quoq́ in confesso est vnius regis appellatione apud Ioannem alias binorum consulum, alias tribunorum, & decem virorum plurium decursus, alias Romanorum Imperatorum successionē singillatim comprehendi.* Quod vt apud vos in confesso sit, apud quos nihil ferè veri constat; apud eruditos, ac doctos homines constare non potest. Apud quem enim, homo erudite, legisti, in Romana republica, plurium decemuirum successiones, atque decursus? cum vix ad alteros decemuiros, & quidem fraude, magistratus ille deue-

deuenerit. Deinde cum ad septem illa tua bestiæ capita septem has summi imperij gerendi formas, quas excogitasti vtcunque aptaueris; expectabo quas ad regum successiones decem illa cornua relaturus sis, quibus reges decem notantur. Qui regnum non dum acceperunt, sed potestatem vna hora accipient, post bestiam, & virtutem, ac potestatem suam bestiæ tradent.

13. *Defenditur Bellarmini ex Caluini cessione confirmatio.*

Sectione nona vssit te quod Bellarminus protulit ex Caluino. Is cùm videret, quæ dicuntur apud Danielem cap. 11. ac 12. ita de vno rege homine scribi, vt ad regum successionem, ac regna trahi non possint: maluit ad Antiochum illustrem totum eum locum accommodare, qua aduersarij concessione vsus vir egregius, colligit Antichristum vnam quandam, ac singularem personam esse; cum ea, quæ de eo prædicit Spiritus sanctus, non nisi in vnum hominem conueniant. Quem tu Bellarmini locum eo argumento labefactare niteris quod non est necesse, si is qui figuram, ac typum alterius gerit, vna ac singularis persona est, eum quoque cuius figuram gerit personam vnam, ac singularem esse, eiusq; rei, quia non nihil tibi dicere videbaris, exempla non pauca congeris. quibus abstinuisses, si rem totam attente considerasses. Neque enim dubium est, in vnica sæpe persona populos integros, ne dum reges aliquot designari; sed alia est pura allegoria, vt cum in duobus Abrahæ filiis duo testamenta allegoricè describuntur: aliud est, quod ita de certo aliquo homine prædicit Spiritus sanctus, vt id illi non omni ex parte conueniat; cum tamen quicquid in vaticinio continetur; ipsa sermonis consequutio cogat de vno homine interpretari. Atque in hoc vaticiniorum genere quædam propriè de eo me-

morantur, qui typus alterius eſt, quæ in eum cuius eſt typus ſimilitudine quadam conueniunt: quædm ita de typo illo ſcribuntur; vt ad eum referri nō poſſint; ſed in eum propriè quadrent, cuius figuram gerit, is de quo in ſpeciem ſcripta ſunt. Ita videmus in Salomone, eiuſque felicitate Ieſu Chriſti Domini noſtri regnum ſignificari: de quo multa ſcribuntur in Pſalmo 71. quæ cum ad Chriſtum aptiſſimè accommodentur, de Salomone nulla alia ratione poſſunt intelligi, niſi quia is quoddā eſt Chriſti Domini ſimulacrum. Nam quod ſcriptum eſt dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum, in Chriſto impletum cernimus, quod de Salomone verè dici non potuit, cuius ditio Iudææ terminos non exceſſit. Id quod in Antiocho illuſtri, de quo caput illud Danielis vndecimū loquitur, eueniſſe & Beato Hieronymo teſte maiores noſtri docuerunt, & ipſum vaticinium clamat. Nam vt oſtendit idem Hieronymus, ita quædam ex iis, quæ vaticinium illud complectitur, in Antiochum quadrāt, vt alia, ſi hiſtoriæ credimus, ad eum referri non poſſint. Nam Antiochus græcorum Deos ſemper coluit, adegitque Iudæos, vt à patriis ſacris ad eorum ſuperſtitionē tranſirent. Is de quo ibi ſermo eſt, Deum Patrum ſuorum non reputabit, nec quenquam Deorum curabit, quia aduerſus vniuerſa cōſurget. Quis ille ſit Deus Maozim, quem culturus dicitur rex ille, non dum ſcimus: at Antiochus, quos Deos coluerit, ex antiqua hiſtoria ſatis conſtat. Ille manum ſuam mittet in terras, & terra Ægypti non effugiet, & dominabitur Theſaurorum argenti, & auri, & in omnibus pretioſis Ægypti, per Lybiam quoque, & Æthiopiam pertranſibit; At Antiochus nec Lybiā, nec Æthiopiam vnquam attigit. Ille figet ta-

get tabernaculum suum in Apadano inter maria super montem inclytum, & sanctum hæc ad Antiochũ transferre conatus Prophyrius vt incommodaret Ecclesiæ, maria conuertit in fluuios Tigrim, & Euphratem, ac Sabim montem Armeniæ pro monte inclyto supponẽs, dicere non potuit, cur sanctus appellatus fuerit à Propheta. Quare cum locus ille Danielis ita de Antiocho scriptus sit; vt multa de Antichristo contineat, quæ in Antiocho nunquam fuerunt; opus est locum eum ad litteram de Antichristo interpretemur; vno quidem illo homine, ac rege, quod quæ ibi scribuntur, multitudinem respuant, qui tanquam in typo in Antiocho præcesserit. Quare non est locus ille de Antiocho intelligendus ad litteram, atque allegoricè tantum accommodandus ad Antichristum: sed aut de solo Antichristo, aut de Antiocho tanquam Antichristi typo, in quo inchoata fuerint, quæ in Antichristo absoluentur. At ea de vno rege homine dici, nisi qui legere nescit, dubitare non potest. Certè ita locus ille conscriptus est à Spiritu sancto, vt nemo neque Christianorum, neque Iudæorum, neq; Gentilium ante exortum Lutheri Euãgelium, eum interpretatus sit, quin ad vnum hominem regem referret. De Antiocho interpretatur Porphyrius: de vno homine Antichristo ab Iudæis orto, teste Beato Hieronymo, maiores nostri intellexerunt. Iudæi eodẽ auctore Hieronymo nonnulla de Seuero, & Antonino Principibus vel Iuliano intelligunt, alia de Antichristo. Qui in illud Danielis; Et faciet iuxta volũtatem suam, &c. *Ab hoc loco*, inquit, *Iudæi dici de Antichristo putant, quod post Iuliani paruum auxilium surrecturus sit rex, qui faciat iuxta voluntatem suam, & eleuetur contra omne, quod dicitur Deus, & aduersus Deum Deorum loquatur magnifica,*

gnifica, ita vt sedeat in templo Dei, quia in ipso erit consummatio. quod quidem & nos de Antichristo intelligimus. Porphyrius autem & ceteri, qui sequuntur eum, de Antiocho Epiphane dici arbitrantur: Vtra igitur minus coacta, atque ex ipsis orta prophetiæ verbis censendá erit interpretatio? Ea ne quæ omnibus omnium gentium, omniumque religionum interpretibus se se obtulit, qui quo longius vt ab hac controuersia, ita à perturbationibus aberant; hoc etiam incorruptius, sinceriusque iudicabant: an ea quam defendendæ recentis blasphemiæ necessitas nouis hominibus nullo alio fundamento nuper indixit, quam quod in vno, vel altero scripturæ loco regis vocabulum non pro vno homine, sed pro tota regum successione accipiatur? Iam si, quæ de Antichristo in eo capite scripta modo recensui, à vobis quæsiero, qua ratione in eum, quem vos Antichristum esse blasphematis, aptè conueniant; Qua ratione Deum Patrum suorũ non reputet, neque vllum numen colat, cum Christum Deum Deique filium prædicet, atque seruorum eius seruum se esse profiteatur; quæ eius castra, quis equitatus, quis mons ille sanctus & inclytus, quo conscensurus describitur; quam Lybiam, quam Ægyptum, quam Æthiopiam, occuparit; hæc, inquam, si vrsero, quos ad tropos, quas ad allegorias confugiendum vobis erit, ne apertissimi mendacij conuincamini? At ô magni scripturarum interpretes, nihil ne vnquã Spiritus sanctus propriè, nihil sine allegoriis, nihil sine metaphoris, nihil sine tropis in sacris litteris loquitur? Quotquot earum interpretationem Christiani, Iudæi, Ethnici quacunque ratione attigerunt, adeò rudes, atq; obtusi fuerunt, vt hæc non animaduerterent? vobis vnis Lutherus ex cœnobio transfuga aperuit sensum vt intelli-

geretis

geretis ſcripturas; cum teterrimæ Popinæ Spiritum inhalauit? Numerum pro numero poſuit Dominus, cum prædiceret fore vt qui ſe non recepiſſent, alium acciperent, qui in nomine ſuo, hoc eſt, ſuo nutu, ac voluntate venturus eſſet, quamuis is alterius nomen, à quo ſe miſſum mentiretur, obtenderet. Quid ita? alioqui ſcilicet ſtare veſter Antichriſtus non poterat. Cùm homo ille peccati, ille filius perditionis, ille impius, ille præ ceteris Antichriſtus apud Ioannem, atque apud Paulum legitur, vim ſuam amittit articulus, neque certum illum hominem ſignificat, ſed fictam quandam, & politicam perſonam, quæ hominibus ſibi ſuccedentibus eadem manet. nimirum commentum veſtrum aliter defendi non poteſt. Cum rex vnus apud Danielem, atque in Apocalypſi Antichriſtus futurus dicitur; multi reges in eadem poteſtate ſibi ſuccedentes intelligendi ſunt. at ea neque propria eſt vocis huius ſignificatio, neque verò quicquã eſt in iis ſcripturæ locis, quod cogat vocem à ſua ſignificatione deducere. Sunt iſta. Sed niſi ea interpretatione fulciatur Antichriſtus veſter, penitus ruit. At quia ne vobis ita placet, ea cenſenda|erit genuina ſcripturæ interpretatio? Quibus argumentis rem tantã probaturi eſtis? Quia ſepticeps illa beſtia ſeptimo ſuo capite Antichriſtum deſignat. Quid tum, ideò ne longam eorum ſucceſſionem memorari neceſſe eſt? Maximè verò, nam etiam longa numeratur decemuirum, ac dictatorum ſibi ſuccedentium ſeries. Eruditè vos quidem vt ſoletis, & acutè. Nam & vterque magiſtratus aut longa aut omnino ſucceſſione caruit, neque aut decemuirum poteſtas vltra biennium tenuit, aut dictatura ordinarius vnquam magiſtratus apud Romanos

nos fuit. Et apud Danielem hircus ille caprarum, cum quattuor minoribus cornibus quattuor regum decursus seriesq; significaret; Quinto illo maximo vnius Alexandri, & quidem perbreue imperium denotauit. Estne præterea quod ex scripturis pro vestra causa proferatis? Nihil sanè, quod cuiusquam momenti sit. Igitur septiceps illa bestia, cuius aut corpus aut capita, quid sibi velint, quia scripturæ non explicant, incertum est, ab ea fide vos abstraxit quam ab Apostolicis vsque temporibus Ecclesia coluit? Hæccinè sunt vestra illa tam inuicta è sacris oraculis argumenta, quibus quando Ecclesiæ non creditis, innititur fides, ac religio vestra? Est verò etiam nescio quod vinum, & quædam fornicaria mulier in Apocalypsi, quæ causæ vestræ deseruiat. Credo, vnde enim potius, quàm è lustris & ganeis argumenta petatis, in quibus, cum eum vinum & mulieres penitus apostatare fecissent, per Euangelium suum, pater fidei vestræ Lutherus vos genuit? Ceterum vt iam ante diximus, vetus illa Roma omnium gentium idola & superstitiones amplexa, cum omnium seruiret erroribus, scripturæ more cum omnibus dicitur fornicata. quæ commendatione tantæ felicitatis, quam idolis referebat acceptam, velut in scypho aureo idololatriam, quã tanto studio colebat, omnibus gentibus propinabat. Ita in Apocalyptica illa muliere nihil est præter vinum atque impuritates, quod ad vos pertinere possit.

14. *De Apocalyptico nomine bestia.*


Agite si quid est præterea quod ad rem vestram facere existimetis, proferte: ne quicquam vestrarum ineptiarum lateat hominum genus. Nomen videlicet illud Apocalyptico numero inclusum vos iuuat, quia Latinus si græcis, Romanus si Hebraicis scribatur litteris,


cum

cũ numerũ exquiſitè reddit.reddit verò etiam Saxonius, reddit Lutheri nomen, ſi illud græcè, hoc hebraicè ſcripſeris: Is igitur etiam erit Antichriſtus. Atque id quidem eo probabilius eſt, quod Antichriſtus certus quidam, atque indiuiduus homo futurus eſt, qualem Lutherum fuiſſe conſtat: Romanorum Pontificum ſeries eſt penè infinita. At Romani Pontificis inaudita tyrannis, arrogantia, ſuperbia, faſtus intolerabilis, perditi, atque inquinati mores quid aliud, niſi Antichriſtum repreſentant? Qui dum vniuerſalis Epiſcopatus nomine dominationem in Eccleſiam exercet, Chriſtianam libertatem exterminat, ac ſupra Chriſtum ipſum extollitur. Agnoſco Lutheranam in Chriſti Vicarium rabiem, agnoſco dignam iſto Euangelio atque iſto ſpiritu maledicentiam. Ego verò iſtam de moribus Romanæ Eccleſiæ calumniam non refello, quia ſanctitati ac religioni Cathedræ ne Phariſæorum quidem improbitas officit, vt etiam ſi ita eſſe, conceſſero, tamen nihil efficias. Ordinem ipſum, ac poteſtatem ſacroſanctam atque à Deo inſtitutam eſſe contendo. Neque verò quia tu ſubiectionis impatiens rupiſti iugum, dixiſti non ſeruiam: ideò aut ſuperbus, aut arrogans eſt, qui commiſſum ſibi à Domino gregem paſcit; neque importunæ ſubmiſſionis ſtudio dominum per ſeruos ſuos adminiſtrantem Eccleſiam ſperni, contemnique in iis patitur. Neque ideò aut tyrannus Petrus, qui morte etiam Ananiæ, ac Saphiræ mendacium vindicauit, quo ſacræ poteſtatis contemptione Deus eius auctor læſus erat, aut arrogans cum collegis ſuis Paulus, quod cum ſic adſpici ſe ab hominibus vellent, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei: in promptu tamen ha-

haberent vlcisci omnem inobedientiam. Neque quia peccati, ac Mosaicæ legis iugo Christus nos exuit; continuò etiam contumaciam docuit, aut audire Ecclesiam atque obedire præpositis nostris, ac subiacere iis non præcepit. Sed hæreticis verbum Dei fabulæ, Apostolatus arrogantia, sacrosancta potestas superbia, Euangelium ipsum tyrannis est.








ANDREAE EVDAEMONIOANNIS CYDONII E SOCIETATE IESV,

ADVERSVS ROBERTI ABBATI OXONIENSIS SOPHISMATA DISPVTATONIS,

LIBER TERTIVS QVO APOCALYPTICÆ IN PRIMIS SCRIPTVRÆ PERPENDUNTUR.

1. *Reliqua disputationu argumentum.*



ERTIVS hic nostræ aduersus Abbatum disputationis liber ferè in Apocalypsi versabitur. Nam neque plura ex vllo sacrarum litterarũ volumine testimonia profert Aduersarius: neque vllus est noui testamenti liber, qui aut tam multa de Antichristo vaticinia contineat, aut facilius in contrarias partes distrahi possit. Dum enim prophetico more allegoriarum symbolis velut inuolucris quibusdam res futuras ita denunciat, vt simul etiam occulat: fit vt tot interpretationes vaticinium videatur admittere,

mittere, quot ad res significandas ea symbola accommodari possunt. Qua diuinorum oraculorum obscuritate abusi sectarij ita ea ad rem suam detorquent: vt interpretationum suarum portenta pro ipsis scripturarum testimoniis, ac minimè dubiis Spiritus sancti vaticiniis miseræ multitudini venditent. Quam apertè ex Apocalypsis 17. demonstrasse se gloriatur Abbatus, longam Antichristorum sibi succedentium seriem portendi septicipiti illa bestia, quæ meretricem babylonicam vehit? at nihil minus ex eo loco colligi apertissimè libro superiore docuimus. Neque magis obscurè postremo hoc nostræ disputationis volumine docebimus, cum neque cum nostra soluere, neque cum sua confirmare nititur, quicquam afferre, quod, cum B Ioannis vaticiniis vlla ex parte consentiat. Quanquàm enim primis duobus capitibus confutatis tanquàm subrutis fundamentis tota eius disputatio euersa est; vt superuacaneus reliquus labor videri possit; minimeque dubium est, cũ Antichristus vnus, ac singularis homo futurus sit, non potuisse, non dicam à Bonifacio, sed ne à Leone quidẽ decimo, quo Pontifice primum ferale Lutheri Euangelium Orbem terrarum funestauit, ad hæc vsque tempora protendi eius imperium: Libet tamen hunc quoque librum ad superiores adiicere; tum vt ne penitus intacta reliqua Abbatiani opusculi capita relinquantur; tum vt Lectores intelligant, qua fide, ac religione rigidi isti scripturarum interpretes in diuinorum oraculorum explicatione versentur. Sed ne sine lege, ac ratione aliqua soluta vagetur oratio; tria omnino eius voluminis capita ita perpendemus, vt quæ ex iis in sua disputatione sparsit Abbatus, ea suo quæque loco tractemus. Sic enim fiet vt ipsa vaticinij series, ac necessaria rerum con-

ſequutio nexusque & germanum ſcripturæ ſenſum aperiant, & peruerſitatē abbatinæ interpretationis facilius prodant. Et quando de capitis 17. viſione libro ſuperiore non pauca diſputauimus, & hominem impurum pro ſuo ingenio Babylonica illa meretrix detinet; vt digredi ab ea non poſſit: geramus homini morem, neque prius ad alia tranſeamus, quàm caput hoc abſoluerimus.

2. *Purpurata meretrix Ethnicamne, an Christianā Romam ſignificet, deq; excidio Babylonis.*

Vrges capite 3. ſectione 6. non de Roma Ethnica, ſed de Antichriſti ſede intelligi debere, quæ ſcripta ſunt Apocalypſis 17. Quod B. Hieronymus ad Marcellam ſcribens, non aliam exiſtimat deſcribi à Ioanne in Apocalypſi Babylonem, quam Vrbem Romam; & idem alibi, hoc eſt 2. aduerſus Iouinianum libro Romam nominatim & apertè compellans; maledictionem inquit tibi Saluator in Apocalypſi cōminatus eſt. ac poſt pauca ſubſumis his verbis. *Hieronymus cùm vaticinium illud de exitu Babylonis ad Romanam vrbem accommodat, quod extra omnem controuerſiam de ſede Antichriſti omnes intelligunt, Romam eſſe Babylonem, & ſedem Antichriſti absq; vlla circuitione conteſtatur.* Qua in argumentatione primum ridiculus es, deinde etiam more tuo mendax. Quid enim ſi ceteri de ſede Antichriſti eum locum interpretarentur? ideò ne continuo in eorum ſententiam Hieronymus iuiſſe cenſendus eſſet? at qua tandem conſequētia; qui aliorum interpretationem nihil veritus, Babylonis nomine non mundum, & eos qui in mundo ſunt amatores eius, vt permulti alij, ſed Romanam vrbem intellexit; quæ de exitu Babylonis in Apocalypſi dicuntur, ad ſedem Antichriſti retuliſſe dicēdus eſt, quia id aliis placuit? Præcipuè cum eorum ſententiam, qui eum & Iudæum futurum, & in monte Oliueti interfectum iri à

iri à Domino Spiritu oris eius confirmant, in caput Danielis vndecimum non proferat modo, verùm etiam laudet. Iam quod in muliere illa, quæ bestiæ insidens cap. 17. Apocalypsis describitur, extra omnem controuersiam omnes ipsam Antichristi sedē agnoscere narras; mentiris. Nam veterum scriptorum non minima pars purpurata illa meretrice, quæ à Beato Ioanne Babylon dicitur, impiorum hominum, atque mundi huius ciuitatem designari existimant. Qua in ciuitate vt Antichristi regiam colloces; vbi tandem terrarum sitam eam esse fabularis? Neque verò locus hic, quem ex 2. aduersus Iouinianum libro protulisti, magis te iuuat, quàm eum, qui strangulatur, laqueus, quem tu vt effugeres dirupisti. Nam apocalyptica illa mulier purpura, auro, ac lapidibus nitens, cum etiam scyphum abominationum suarum plenum omnibus gentibus propinaret, ac blasphemiæ nomen scriptum gestaret in fronte: florentem denotat Romanæ ciuitatis statum, quæ orbis terrarum regia tandiù fuit; dum ethnicis principibus paruit. at vbi Cōstātino Imperatore Christi iugum excepit, Byzantium Romani imperij iure translato, in suo regno exteros dominos, ac seruitium passa est: quo factū est, vt & blasphemiæ nomen Christi confessione delelet, & facta quasi vidua domina gentium; venenatum illud poculum vna cum regio ornatu deponeret. Quam tamen decem illis regibus, in quos tandem Romanum Imperium diuidetur, igni ferroque vastandam, delendamque longo post tempore Dominus tradet, memor tam immaniter ab ea effusi sanctorum sanguinis, quo etiam ebria memoratur, tum cum idololatriæ tuendæ studio tam atrociter in Ecclesiam sæuiit. Nam & pœnas, & præmia ad longissimum sæpe tempus differre arcano

consilio consueuit. Ita terram, quam daturum se Abrahæ pollicitus fuerat, tam multis post sæculis eius nepotibus reddidit: Ita Amalechi scelus, qui contendenti ad promissam sibi terram populo se se opposuerat, Saule demum Rege vlcisci constituit. Ita post dimissum Dauidis peccatum, comminatus fore vt gladius ex eius domo nunquam discederet, Traiano Imperatore hoc est mille circiter, ac ducentis post annis, vt ex Eusebio libro 3. cap. 32. colligitur, domum eius funditus occidione deleuit. Extrema igitur duo vrbis tempora, quod altero supplicium, altero supplicij causa contineretur, vaticinio suo complexus B. Ioannes; medium, quod ad rem non faceret prophetico more prætermisit. Quæ tria tempora B. Hieronymus eo quem citauit Abbatus aduersus Iouinianum loco diligenter distinxit: Vt aut stuporis eius fuerit non animaduertisse, aut extremæ nequitiæ consultò locum mutilum protulisse; sic enim posteriorem illum aduersus Iouinianum claudit librũ. *Sed ad te loquar, quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti; vrbs potens, vrbs Orbis Domina, vrbs Apostoli voce laudata.* Præcesserat igitur, si Hieronymo credimus, meretricius ille Romanæ ciuitatis status, cũ scriptam gerens in fronte blasphemiam purpurata meretrix venenum in auro porrigeret, ac deleto iam Christi confessione blasphemiæ nomine, longè ab his impuritatibus ea ciuitas aberat, cum hæc Hieronymus scriberet. nunc quæ idem eo loco subiicit, audiamus. *Interpretare vocabulum tuum. Roma aut fortitudinis nomen est apud Græcos, aut sublimitatis iuxta Hebræos. Serua quod diceris, virtus te excelsam faciat, non voluptas humilem. Maledictionem, quam tibi Saluator in Apocalypsi comminatus est, potes effugere per pænitentiam habens exemplum Niniuitarum.*

uitarum. Vides ad præteritum tempus, Hieronymo au-ctore, spectare scelus meretricij, supplicium adfuturũ? Quod autem quæris Christianam ne, an Ethnicam Romam alloqueretur, cum illa scriberet; nihil proficis. Quid enim si ex te Ego contra quæsiero, iustum ne Dauidem, an impium compellarit Nathan Propheta 2. Reg. 12. cum illa diceret. *Quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Si fieri non potuit vt de iusto homine aut hæc verè dicerentur, aut pœna ea iurè sumeretur, aut impius esset is, à quo Dominus iniquitatem iam ante transtulerat? Nam si Dauid iam gratia Dei iustificatus, propter ea scelera, quæ ante cõmiserat, ea oratione iurè castigari potuit à Spiritu sancto: cur à B. Hieronymo moneri Roma iam Christiana non potuit, vt quod supplicium propter priorem idololatriam de ea sumere constituisset Deus, id auertere per pœnitentiam niteretur? Sed tu, qui cuticula omnia iudicas, quæ sit pœnitentiæ vocabulo subiecta notio, non intelligis. At enim cum describit B. Ioannes vrbis excidium, meretricem eam appellat. An tu eos, qui cum Domino in crucem sublati sunt, etiam tunc latrocinia exercuisse dicturus es, cum penderent è cruce; quia Latrones ab Euangelistis appellantur, cum eorum vel blasphemias, vel pœnitentiam memorant? Aut quia Euangelij sui capite 10. Apostolorum Catalogum texens B. Matthæus, Matthæũ se publicanum nominat, etiam tũ cum Apostolus factus est, publicanum eum fuisse blasphemabis? Sed te illud sect. 7. commouet: quod bestiam, ac meretricem eandem esse existimas, quamuis paulo post, qua es inconstantia, inficiere iis verbis. *Bestia principatus est, & regnum septimontana; id est, Romanæ ciuitatis, &*

Antichristum complectitur; principatu illo suo ordine potiturum. Mulier siue meretrix vrbs ipsa Roma est, quæ regno illo, & principatu gentium omnium quasi ceruicibus superuecta est. Quæ tibi si omnia concessero; nihilo plus te iuuabunt, quàm superiora iuuerint. Non solum quia principatus ille Romanæ vrbis, quo omnium gentium ceruicibus insidebat, humanus, ac politicus fuit, eoque semel in Orientem translato, neque vnquàm postea ad sedem pristinam reuocato; è bestia iam ante Roma desiluit. quo fit, vt neque ad Romanam vrbem pertineat, si quis eius imperij postea potiturus sit, neque, nisi ab hoc ad alterum quoddam imperium gradum facias, ac nescio quam alteram bestiam pro ea, de qua Beatus Ioannes loquitur, supponens, vt es egregius dialecticus, de genere transcendas ad genus: hæc ad Romanum Pontificem possis accõmodare. Non solum, inquã, propter has rationes nihil efficis: Verùm etiam quia, vt eruditè admodum animaduertit Bellarminus, à decem illis Regibus, qui decem bestiæ cornibus portenduntur, eo ipso tempore excindi meretrix debet, quo veniet Antichristus. Ex quo alterum necessariò sequitur, aut Romam, qua incolumi nunquam venturus sit Antichristus, eius sedem esse non posse: aut si Antichristi regia Roma futura est; eam muliere illa non significari; quæ ante deleri debet, quam Antichristus reueletur. Quã tu rationem vt inuoluas, ais Reges illos, qui desolatam facient meretricem, prius potestatem suam bestiæ, hoc est, vt iam ante dixisti, purpuratæ meretrici tradituros; id enim dedisse Deum in corda eorum, vt dent regnum suũ bestię, donec consummentur verba Dei; quibus impletis, & consummato Dei iudicio, Reges illos eodem instigante Deo, meretricem, cui se ante subdiderant, odio

odio habituros eamque iam desolatam igne crematuros, atque ita concludis. Vna est ergo & eadē siuè meretrix, siuè bestia, cui primo potestatē suam daturi sunt, & quam postea desolatam igne cremabunt. quo loco primum fidem tuam desidero; Vbi enim Apocalypsis 17. legisti fore vt hi Reges prius potestatem suam bestiæ tradant; deinde meretricem oderint? an quia prius illud scribitur, prius etiam impleri necesse est? At sermo, cum vocibus sibi succedentibus constet, simul omnes rei gestæ partes amplecti, atque eodem tempore ad omnes pertinere non potest; earumque rerum, quæ simul gestæ sunt, alias prius persequitur, alias in finem necessariò reiicit; quare potuit B. Ioannes alterum horum altero prius narrare; quamuis eodem tempore sint futura. Iam quod versum 13. cum 17. coniungis, vt aliquid dicere videare; ab ingenio non recedis. nam si locus is quicquam efficit, nostram sententiam adstruit. Sic enim habet ver. 16. *Et decem cornua, quæ vidisti in Bestia, hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt.* ver. 17. *Deus enim dedit in corda ipsorum, vt faciant quod placitum est illi: vt dent regnum suum bestiæ, donec consummentur verba Dei.* Quis autem tam est stolidus ac tui similis Abbate; vt non intelligat expositionem illam esse versus 17. qua quæ prius vniuersè dicta erant iis verbis, vt faciant quod placitum est illi; id postea explicatius reperitur, vt dent regnum suum bestiæ donec consummentur verba Dei. At priorem illam eius versus partem; Deus enim dedit in corda ipsorum, vt faciant quod placitum est illi; & verba ipsa vaticinij clamant, neque tu negare audes, ad desolationem atque excidium mulieris pertinere; cum scribas Reges eodem

instigante Deo meretricem, cui se antea subdiderant, odio habituros: nisi fortè nescimus, particulam, enim, eorum quæ proximè dicta sunt, reddere rationem. Ceterum vt omnes intelligant aut consulto errare, aut planè stipitem esse te, si vera narras; idem est Antichristiani regni, ac Babylonis excidium. id quod tu disertè profiteris, cum ita scribis. *Est Antichristi principatus, cui primo potestatem suam daturi sunt (Reges:) est ergo Antichristi regnum, quod postea subuertent*: Nullum igitur post deletam Babylonem reliquum erit Antichristi regnum, nulla regum terræ cum bestia conspiratio, nullum prælium. At Apocalypsis 19. post euersam, atque concrematam Babylonem, post hymnum eo ipso capite Deo à sanctis in cœlo dictum, quod vindicasset de meretrice magna: narrantur prælia bestiæ cum Christo Domino; atque vt euidentius conuincatur insania tua, reges terræ coniunctis cum bestia viribus aduersus verbum Dei tādiu pugnant; dum & ipsi cum suis internecione deleantur, & bestia cum Pseudopropheta suo capta, viua mittatur in stagnum ignis ardentis sulphure; qua igitur ratione reges ij, qui prius, auctore te, bestiæ regnum suum tradiderant; deinde repentè diuino instinctu in odium veneratione conuersa, eam expugnaturi sunt; in eius castris ad extremum vsque spiritum militabunt, omne bestiæ periculum suo libentissimè subituri?

Sed tu, vt colorem aliquem fabulis tuis inducas; addis non videri simile veri fore, vt Romam iam Christianam ad supplicium eorum delictorum deposcat Deus, quæ Ethnica perpetrarat. Haud sanè magis, quàm aut Amalechitas tam multis sæculis post admissum à maioribus suis scelus Saule rege Iudaicis armis perdidit; aut Vriæ cædem; atque adulterium & in Dauide iam iusti-

ficato, & in eius posteris tanto post tempore vltus est. Miraris præterea (quid enim est boni, quod non ignores?) Cur Apostoli, & Prophetæ de tanta Ecclesiæ vastitate exultare iubeantur; quam tibi admirationem, si modò nosti legere, in hoc ipso, quem citasti, loco sustulit B. Ioannes. Exulta, inquit, super eum cælum, & terra, & sancti Apostoli, & Prophetæ, quoniam iudicauit Deus iudicium vestrum de illa. Non ergo exultare iubentur sancti de Ecclesiæ vastitate; sed quod, cum iam ante animæ interfectorum sub altari Dei clamassent, vt sanguinem suum vindicaret Deus, atque expectare iussi essent, dum impleretur numerus fratrum suorum, quos à mundi constitutione electos prædestinauerat Deus, conformes fieri imaginis filij sui: fidelem tandē experiantur: qui iudicium suum tanto post tempore iudicet. Neque verò minore cum Ecclesiæ incommodo, addo etiam maiore bono, pœnas de meretrice sumere poterat: quam ad illud vsque tempus supplicium differendo. Ingruente enim Antichristi sæuissima, atq; immanissima tyrānide nisi ante dirueretur Roma, augustissimam illam sanctitatis sedem, atque arcem Christianæ religionis sacrilegis eius sacris contaminari, ac templa in prophanos vsus conuerti necesse esset. Erepturum igitur est hoc supplicium vrbem Romam grauioribus malis, memori etiam tum, cum iratus maximè fuerit, misericordiæ suæ Deo, vt eo etiam nomine exultare, ac gratias illi agere sancti Apostoli, ac Prophetæ iure possint, quod ante sanctissima illa tēpla, arasq; deleuerit, quā in iis perditionis filius pro Deo coleretur. Quod autem imminente iam vrbis excidio exire de illa iubeatur populus Dei, ne particeps sit delictorum eius, & de plaga eius non accipiat; cur te commoueat videre nō possum; nisi

nisi forte quia, vt tã capitali odio sanctos Dei insequutus semper es, opprimi eos vrbis ruinis atque incendio conflagrare malles; quàm vt olim sanctum Loth diuinitus eripi. Quod si exire iubentur, ne vrbis calamitatibus inuoluantur; aliunde profecto malum hoc Romæ parabitur, quàm à populo Dei, quanquam quia eorum scelerum pœnas dabit, quæ in sanctos olim commiserat; eo pacto populus Dei dicitur reddere illi, sicut reddidit ipsis, & duplicare illi duplum secundum opera eius, quo apud poëtam Æneas Turnum interfecturus

Pallas, inquit, *te hoc vulnere Pallas immolat, & pœnam scelerato è sanguine sumit.* Illud reliquum est argumentum tuum, quod ideò vrges, vt furere te omnes intelligant. *Vbi verò sequitur*, inquis, *flebunt, & plangent se super illam Reges terræ, qui cum illa fornicati, & luxuriati sunt; illam Romam notat, cum qua fornicati sunt Reges terræ.* Illam ipsam profecto; neque enim alia est, quæ nunc Christiana est Roma; alia, quæ olim Ethnica in Ecclesiam sæuiit; nisi tu fortè alium esse existimas Dauidem qui iustificatus pœnas tamen homicidij sui dedit: alium eum qui commisit homicidium. *Iidem ipsi qui ruinam eius deplorant.* Satin sobrius eras, cum ista scriberes? At tu nõ ita multo ante docueras, reges eos, qui cũ meretrice fornicati sunt, quodque apud te idem erat, bestiæ regnum suum tradiderant: mox instigante Deo meretricem odio habituros, atque euersuros esse. Qui igitur fiet; vt qui cõmuni consilio in cinerem versuri sunt vrbem Romam, & exitium eius tanto luctu, ac lacrymis prosequantur, & metu consternationeque attoniti, ne accedere quidẽ propius audeant? Pergis. Notat ergo sedem Antichristi. Ego verò dialecticam istam non capio; qua enim ratione consequens est, si Reges ij, qui cum Vrbe Roma

forni-

fornicati ſunt, iidem flagrantem deploraturi ſunt; eam neceſſario ſedem Antichriſti eſſe debere? An ſi Antichriſti ſedes futura non eſt, ideò aliis ſceleribus ſe conſtringere non poteſt? aut nullum ſupereſt aliud genus ſacrilegij, quo ſe contaminet, ſi hoc vnum excipias? An tibi Conſtantinopolis, quia Antichriſti ſedes non eſt, ideò fornicari cum tam multis terræ regibus non videtur; quàm multi Turcarum iugo premuntur? Quid ſi idem etiam Romæ accidat, antequam reueletur Antichriſtus? Certè iam inde à Mahomete eo, qui Conſtantinopolim cepit, huc eorum Tyrannorum conſilia ſpectaſſe, vt Italia in poteſtatem redacta, Romam non priſcam modo ſedem, ſed ipſa imperij incunabula occuparent; & rerum eius gentis periti memorant, & ſuſceptum ab iis bellum Hydruntinũ, qua breuiſſimus è Græcia in Italiam traiectus eſt, ſatis teſtatur. Neque verò aut tam exiguæ ſunt eius imperij vires, aut tanto à nobis locorum interuallo diſiunctæ, aut ea Chriſtianorum Regum ad eam peſtem depellendam conſpiratio; vt id iurè timeri non poſſit. Quæ non ideò dico, quod eam expediendæ difficultatis huius rationem inire in animo ſit: Sed vt intelligas, quam inepta atque omnis planè rationis expers tua iſta ratio ſit. Cùm etiam ſi tibi ea omnia conceſſero, quæ præſumis; non continuò efficias, ea de Antichriſti ſede dicta eſſe, quæ in vrbem Romã ſexcentis aliis de cauſis conuenire potuiſſent. Quam tamẽ tuam tam ineptam, atque inſulſam argumentationem, quamuis facetus eſſe velis, multo etiam confirmas inſulſius. Quæris enim ex Bellarmino, num exiſtimet reges illos, qui cum Roma Ethnica fornicati ſunt, reſuſcitandos eſſe; qui Romæ Chriſtianæ acerbum exitium deplorent. Minimè ille quidem, neque enim eo loco res

nostræ sunt, vt si eas tueri volumus, fabulas nobis more vestro comminisci necesse sit. Sed locus is luculentam antithesim continet: qua miseranda conflagrantis eius vrbis conditio exprimatur, ac perinde est, *Plangent se super eam Reges terræ, qui cum ea fornicati sunt, & in deliciis vixerunt*: ac si diceret, vrbs illa terror simul, ac deliciæ Tyrannorum, nunc hostium ferro flammaque euersa ac diruta horrori, atque misericordiæ illis est. Quæ loquendi ratio nationem ipsam regiam, gentemque, non eosdem denotat singulares, atque indiuiduos Reges, qui eam florentem prius in deliciis habuerint, deinde excidio eius commoueantur; quemadmodum cũ threnorum 4. Ieremias florentem regni iudaici statum cum afflicto, ac perdito comparans; *candidiores*, inquit, *Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis*; non eosdem requirit indiuiduos homines Nazaræos, qui ex illa fælicitate in has miserias deciderant, sed priorem eius generis hominum conditionem cum præsenti confert, siuè iidem maneant homines, siuè alij eorum loco suffecti sint.

Caput vndecimum Apocalypsis expenditur.

1. *Quid significetur atrio templi quod datũ est gentibus, quid sancto sanctorum quod metiri iubetur B. Ioannes.*

Non obscurum, aut leue argumentum cõtra sectariorum blasphemias in hac de Antichristo controuersia sumitur ex capite Apocalypsis vndecimo. quod vsque adeo illos torsit, vt cum nihil afferre possent, quo vel in speciem solueretur; nouas subinde explicationes excogitare coacti sint, Nam & Antichristi Regia eo capite

pite apertè deſcribitur, & certum regni eius tempus definitur, & eorum qui populo Deo extrema vt aiunt fortuna cum hoſte vno omnium teterrimo cōfligenti Duces præbituri ſe ſunt, numerus, veſtitus, miracula, mors, gloria denique tam exquiſitè prædicitur : vt omnino cæcus eſſe velit, qui in re tam luculenter expreſſa poſſit errare.

Neque enim dubium eſſe poteſt, quin cum datus eſt Beato Ioanni *Calamus ſimilis virga vt templum Dei ita metiretur, vt foras mitteret exterius atriū, quod id datum eſſet gentibus, quæ mēſibus quadraginta duobus calcaturæ eſſent ciuitatem ſanctam* : templi alicuius, atque vrbis terrenæ ſpecies animo eius obiecta ſit. Nam neque myſticum Eccleſiæ templum neq; ſpiritualem vrbem calamo metiri potuiſſet. Eam porrò ſpeciem Hieroſolymitanæ vrbis templique fuiſſe, illud argumento eſt; quod præter eam nulla alia in ſcripturis ciuitas ſancta vocatur. Quā ob rem hunc ipſum Apocalypſeos locum Beatus Hieronymus Epiſtola 17. quam nomine Paulæ & Euſtochij ſcribit ad Marcellam, de ea vrbe interpretatur. Reliquum igitur eſt, vt aut illis veluti ſymbolis quæ menti vatis obtulit Spiritus ſanctus, aliud quippiam ſignificaſſe dicatur; aut iis imaginibus vrbem ipſam, ac templum Hieroſolymorum expreſſerit, ac propriè intelligi voluerit, quæ iis verbis hic ſcripta ſunt. Scio ego non defuiſſe graues, ac pios ſcriptores, qui templo eos, qui Antichriſti tempore fideles inuenientur, atrio quod foris eſt, eos qui à fide deficient, ciuitate ſancta, Eccleſiam ſignificatam exiſtiment, eamque ideò calcari à gentibus dictam, quod iis tradita videatur, vt omnē in eam immanitatem exerceant. Quorum expoſitionē ſi admittimus, idem templo, eiusque atrio deſignabi-

tur, quod vrbe ipsa Hierosolymorum. Neque abhorret ab ea interpretatione Abbatus cap. 6. sec. 2. *Quanto melius*, inquit, *Ecclesiam hic intelligimus verbo Dei, tanquam virgula mensuratam?* Et paulò post. *Hanc tamen Ecclesiam, vnicam suam sibi tam caram, hanc sanctam ciuitatem prædicit à gentibus, hoc est, Ethnica turba vexandam & calcandã.* Et post pauca explicans quid templo, quid exteriore atrio, quod datum est gentibus, significetur. *Itaq;* inquit, *in turbis, & iactationibus sæculi conseruantur incolumes electi, nec vnquam, aut vsquam portæ inferorum aduersus Ecclesiam præualebunt. Quando interim hypocritæ, qui tanquã atrium templi habentur, instar leuis paleæ iactantur & auolant. Et potius quàm discrimen aliquod propter Christum subeant, ad sæculum, vnde exiisse videbantur, regrediuntur, & ab impiis & prophanis iterum occupantur.* Hæc ille. Quanquam ne vlla in re cum viris bonis omnino sensisse videatur; mauult hæc non ad Antichristi, sed ad Ethnicorum Imperatorum referre tempora. Sed ea interpretatio mihi non planè constare videtur. Si enim calcari à gentibus, vexari ac diripi est: profecto non atrium exterius tantùm, sed totum etiam templum datum est gẽtibus; ac si malis, etiam solum templum, atque altare. Ij enim tantum persequutionem vel passi sunt olim, vel patientur in posterum, qui volunt in Christo piè viuere, ac sanctissimi quique atque fortissimi acerbissimè torti sunt Quid igitur fuit causæ cur atrium vnum, quia datum est gentibus conculcandum, mensura illa esset immune; aut qua ratione atrium datum est gentibus conculcandum, si eos denotat, qui à fide atque Ecclesia defecerunt? Neque enim videre possum quo fundamẽto velit Abbatus, cum dicitur atrium datum gentibus intelligi fore, vt à gentibus occupetur. cũ

autem

autem subdit Euangelista fore vt gentes calcent sanctã ciuitatem, intelligi fore vt conculcent, ac vexent, cum verbum græcum, πατήσουσι, nihil aliud significet; nisi fore vt per eam ambulent; quod eorum est proprium, qui locum aliquem incolunt, idemque significet, ac si diceret, sanctam ciuitatem gentes incolent, atque in ea domicilium suum ponent; quod quia fieri alia ratione nõ potest, nisi eam prius occupent, idem planè est ac si diceret, sanctam ciuitatem occupabunt gentes, atque in ea duobus, & quadraginta mensibus morabuntur. Porro si sanctæ ciuitatis nomine idem significatur quod ante templi, atque atrij symbolis expressum est; cum nulla pars sanctæ ciuitatis conculcatione careat, non minus templum ipsum quàm atrium gentibus dabitur. Deinde verò ad auream illam Augustini recurro regulam, quam Lutheri etiam suffragio supra confirmauimus, Diuinæ scripturæ verba, nisi cum propriè intellecta absurdi aliquid continent, propriè intelligenda atque exponenda esse. Quid autem est absurdi, si vaticinium hoc ita accipiatur, vt scriptum est? futurum vt Hierusalem veræ olim religionis, ac sacrarum cæremoniarum sedes, aliquando sacrilegæ superstitionis domicilium effecta, prophanorum atque impiorum hominum vestigiis teratur. Cur autem templum, atque altare metiri, atrium anterius foras mittere iussus sit beatus Ioannes, quod id gentibus datum sit, facillimam habet explicationem, si dicamus Antichristum inchoaturum templi ædificationem, atque in ea parte quam prius absoluerit sessurum, & ostensurum se quasi sit Deus, reliquum verò templi nondum absolutum ea contaminatione ac sacrilegiis futurum immune. Quare beatum Ioannem eam partem, quæ atrium sacerdotum, ac san-

ctum sanctorum amplectitur iussum esse metiri, quod eam sibi ita Dominus reseruarit; vt in eam prophanos Antichristi cultus admissurus non sit. atrium verò exterius datum esse gentibus; quod in eam partem impia sacra, atq; prophanas suas religiones inuecturus sit homo peccati. Illud Abbato negotium facessit, quod, vt est Iudæorum studiosus, veretur, ne iis incommodet, si eos, qui Antichristum sequuti sacris eum, ac sacrificiis in Dei templo coluerint, hoc loco prophano gentium nomine significari concesserit; itaque officere mauult Ecclesiæ. *Quis ita ferat interpretantem*, inquit, *Gentes Calcabunt sanctam ciuitatem id est Iudæi Hierosolymam?* Quasi verò Omnes qui ex Israël sunt, ij sint Israëlitæ, aut qui semen sunt Abrahæ, ij filij; ac non potius in isaac vocatũ fuerit illi semen, id est, non qui filij carnis, hi filij Dei; sed qui filij sunt promissionis, æstimentur in semine. Rom. 9. dubitat ne Abbatus, eos qui non modo obduratis cordibus, ac sponte compressis oculis, ne Euangelium agnoscerent, exciderunt à promissione, sed etiã recepto Antichristo ad Idololatriam, ac gentium superstitiones degenerauerint, quia carne sunt ex Israël in gentibus numerare? Cum Apostolus clamet Israëlitas eos non esse. Quod si cum Israëlitæ non sint; in gentibus tamen eos numerari non patitur: inter quos tandẽ reponendos eos arbitratur? Aut si gentiles, quia audito Euangelio Christum amplexi sunt, ex gentibus ad spiritualem Israël, atque ad promissionis Abrahæ filios fides transtulit: cur carnalem Israël nõ modo reiecti Euãgelij perfidia; sed etiam admissa idololatria moresque gentilium ad gentes transferre non poterit? Quanquã vrbs vasti illius imperij regia, omnium gentium collu-
uione

nione conflabitur; vt necesse non sit vnam Iudæorum nationem his Beati Ioannis verbis intelligi.

Ad hunc locum si versum huius capitis octauum addideris; nihil clarius esse poterit. loquens enim sacri vaticinij scriptor de morte duorum illorum prophetarum qui bestiæ conatibus se se oppositiuri sunt: Et corpora eorum, inquit, iacebunt in plateis ciuitatis magnę, quæ vocatur Spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, & vbi Dominus noster crucifixus est. Quibus verbus ne Abbatus quidem capite 3. sect. 6. negare audet, terrenam aliquam vrbem denotari, neque verò nisi de scripturarum fide dubitare velimus, dubium esse potest, quin si propriè accipiantur Hierosolymam exprimant. Quæ enim alia est vrbs, aut quis vspiam in orbe terrarum locus, in quo Dominus noster crucifixus sit? Quam autem sibi aptè concinunt singula vaticinij huius membra? *Calcabunt gentes ciuitatem sanctam*; (quia scilicet regiam ibi suam collocaturus est Antichristus) *& dabo duobus testibus meis & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, & cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet aduersus eos bellum, & vincet illos, & occidet, & corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ*; Quam neque Abbatus abnuit esse regiam bestiæ, & verò omnium gẽtium consuetudo demonstrat. Vbi enim potius, quam in vrbe totius imperij principe duo illi tam acerbi hostes bestiæ mactarentur? quænam autem ista erit bestiæ regia? nisi ea, quam calcaturæ sunt gentes mensibus illis duobus & quadraginta? At hanc eam esse Beatus Ioannes conceptis verbis profitetur, in qua Dominus noster crucifixus est. Quem locum vt eludat Abbatus, ita vel legendum, vel intelligendum dicit. Vbi spiritualiter Dominus noster crucifixus est. quod non alia ratione pro-

2. *Quæ sit Ciuitas magna, in qua duo Prophetæ occidendi prædicuntur.*

ne pro-

ne probat, nisi quia B. Ioannes cum vrbem illam magnã alienis nominibus describeret, ita scripsit: Iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus. Præclaram argumentandi rationem. quid est quod cogat, quia in priore illo membro Sodomæ, atque Ægypti vocabula spiritualiter accepit B. Ioannes, ideò spiritualiter posterius quoque membrum interpretari? cur cum Christus vocatur in Apocalypsi, agnus qui occisus est, cum agnum Spiritualiter dici cõstet, non etiam occisum spiritualiter interpretatur? An quia disertè cõtestatus est scriptor ipse spiritualiter duo illa nomina intelligi oportere, ideò ad ea quoque, quæ sequuntur, spectare idem illud censendum est, quibus eam vocem ipse non addidit, neque tamen ita sunt cum superioribus connexa, vt necessariò de iis dictum intelligatur, si quid de superioribus dictum est? At profecto nihil est in iis B. Ioannis verbis, quamobrem aduerbiũ illud, spiritualiter, ad posteriorem quoque illam descriptionis partem referendum arbitremur. Certè si ipsam Hierosolymam describere voluisset eadem planè de illa, atque iisdem omnino verbis dicere potuisset: neque eam ob rem minus aptam esse eam descriptionem quisquam existimasset. Quibus igitur machinis aduerbium illud loco mouere, atque ad posterius quoque membrũ trahere poterit; vt persuadeat hominibus particulam illam, quam priori tantum orationis membro scriptor affixit, ad posteriorem quoq; referri oportere? Cur scripturas cum propriè possit interpretari, ad allegoricas, & mysticas interpretationes detorquet? Adde quod vox spiritualiter, in posteriora verba non ita aptè conuenit; neque vnus in iis verbis tropus fingendus erit, si interpretationem hanc admittamus. Nam aduerbium illud

illud ad Christum ipsum, ac dominum proximè referēdum erit; ita enim interpretatur Abbatus: quia Dominus mysticè idem est cum membris suis; ideò cum mēbra eius sancti martyres cruciabantur, ipsum quodammodo tortum & cruciatum fuisse. Qua in oratione, nisi martyres spiritualiter tortos Abbatus afferat, cruces, ac tormenta propriè accipienda sunt; tropus in Christi vocabulo hæret. neque enim pro ipsa ponitur Christi persona, sed pro corpore mystico, cuius caput ac princeps Christus est. At non ita facilè fortasse locum inueniet aut in scripturis, aut apud probatum vllum scriptorem, in quo totum corpus Ecclesiæ simul cū capite suo Christo Dominus noster appelletur absolutè, ac sine vllius rei additione, quæ loquutionem hanc molliat. Cum enim Dominus ad seruos referatur; non benè Dominus dicitur, nisi referatur ad seruos. quinam autem serui reliqui sunt, si vnum ex seruis ac Domino corpus efficias? vt igitur Christi vox ad corpus totum accommodari possit: Domini nostri vocabulum ad eam significationem ęgerrimè trahi potest. Si enim Dominus noster est; nos vtique serui sumus. qua autem ratione ex seruis ac Domino Dominus vnus effici potest? Præterea verò ne vox quidem, crucifixus, propriè ponitur. Nam si martyrum certamina, cruciatusque ea voce significantur; cum nō vno crucis supplicio, sed innumerabilibus cruciatuum generibus mortem oppetierint; vox ea pro quolibet cruciatus genere ponitur. In voce igitur, crucifixus, tropus alter latebit. Denique quia in toto orbe terrarum tam multa Martyrum millia Christi causa passa sunt: aut magnæ ciuitatis nomine totus mundus intelligendus erit; aut ideò in vrbe Roma crucifixus Dominus dicendus est, quod quamuis nulla regio, nullus-

que locus in orbe terrarum fuerit expers Christiani sanguinis: tamen Romanorum Imperatorum iussu id factum est. vt Romæ contigisse videri possit id, quod ab vrbe Roma prodiit. At id ipsum durius est; quis enim Constantinopoli quenquam interfectum dixerit, qui in Ægypto aut Palæstina Turcarum Regis imperio sit interfectus? Sed tamen vt id quoque demus Abbato, quis non videt quam detorta, atque aliena ab omni sermonis vsu ea oratio sit; quæ his omnibus simul constet? vt idem sit Christus Romæ crucifixus est, ac si dicas, Martyres Christi membra in toto orbe terrarum Romanorum Principum iussu occisi sunt. quid superioris sententiæ hæc interpretatio retinet? quanto ad diuinæ scripturæ, ac fidei simplicitatem ea interpretatio magis accõmodata est: qua vrbs vrbem, Dominus noster Christum, crucifixus eum qui in crucem sublatus est, significat? cũ scriptura ita intellecta nihil absurdi cõtineat. Iam quod totus es in eo vt probes, quæ martyres passi sunt, ea de Christo in martyribus patiente dici posse; confutare nõ esset opus, cum satis demonstratum iam sit in eum, de quo nunc agimus locum eam interpretationem aptè conuenire non posse, quia tamen ita es excors; vt ne tum quidem cum veri aliquid dicis, tui compos esse videare: libet breuiter, quæ profers, perpendere. Citas 1. ex 2. Corinth. 4. versum decimum; *Semper mortificationem Domini Iesu in corpore nostro circumferentes.* Desipis, docet enim eo loco Apostolus discipulorum assidua mortificatione, velut imagine quadam exprimi mortem Christi; quare etiam subdit, vt & vita Iesu manifestetur in corpore nostro. Id quod eleganter in eum locũ Chrysostomus ita explicat. *Si quis nõ credit*, inquit, *quod mortuus est Iesus, & resurrexit; nos videns quotidie morientes,*

rientes, & resurgentes; credat postea resurrectionem. Quid hæc ad rem tuam Abbate? Citas deinde ex 3. Philip. versum decimum. At ille ne syllabam quidem vllam habet, quæ pro te faciat. *Ad cognoscendum illum*, inquit, *& virtutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius, configuratus morti eius.* Adeóne es hebes, vt te ne ipsa quidem vocabula societatis, passionum, & configurationis morti Christi, docuerint imitationem verbis his exprimi? vt quemadmodum ille passus & mortuus est pro nobis: ita & nos cruciatus ac mortem, eius, atque Ecclesiæ causa perferamus. Vnde Chrysostomus, *Conformis*, inquit, *factus morti illius, id est communicans; quemadmodum ille pro hominibus passus est, ita & ego.* Addis (nũquam enim desipiendi finem facis) ex Hebr. 13. versum decimum tertium. *Exeamus igitur ad eum improperium,* (vel vt mauis) *ignominiam eius portantes.* At id quoque de imitatione dictum est; vt quemadmodum Christus sustinuit crucem confusione contempta: ita & nos. Audi in eum locum Chrysostomum. *Egrediamur ad eũ portantes improperium eius. Hoc est eadem ipsa perpetientes, & cõmunicantes ei in passionibus, qui condemnatus crucifixus est foris. neq; igitur nos confundamur foras exire.* Est ne præterea quo insaniam tuam prodas? maximè verò. Affers ex cap. 6. ad Galatas versum 17. *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Quid autem illud est nisi ego notas, atque insignia in corpore meo gesto, quibus quasi emptitius agnoscar seruus Iesu Christi? quare plagæ illæ ac cicatrices, non ideo dicuntur Domini, quod eas Christus passus sit; sed quod iis quasi insignibus agnosceretur, cuius Domini seruus esset is, qui eas gestabat in corpore suo. Hinc autem quid colligis homo diserte? nempe nihil aliud, nisi opinionem proiectæ atque impuden-

tis inscitiæ. Sed tandem aliquando casu ne an consilio? aliquid affers, quod ad rem facere videatur. Vocem Domini Actorum nono clamantis ad Saulum, Saule, Saule quid me persequeris ? Addis etiam locum Origenis in Ieremiam Homilia vndecima. *Per singulos martyres Iesus condemnatur; Si condemnatur Christianus pro hoc tantùm, quod Christianus est; Christus condemnatur.* Quos tamen ipsos locos, si voluero, nullo negotio tibi è manibus extorquebo. Nam Iudæorum consilium fuit, non solum vt Christum è medio tollerent, cum occiderunt: Sed vt cultum ac nomen eius planè delerent. atque id spectabant, cum fideles persequebantur; vt Christi religionē abolerent. *Venite*, inquiunt, apud Ieremiam, *mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius.* Quis autem non videat, cum nomen, ac gloriam Christi persequerentur, eos in ipsum Christum persequutionem mouisse? atque ea prorsus ratione Christum potuisse de Saulo conqueri, quod se persequeretur; qua de obtrectatoribus suis quis diceret, isti homines me persequuntur; ac maledictis proscindunt ? quod si de obtrectatoribus verè dicitur; multò verius dici posset, si quis carceribus etiam, & cruciatibus sæuiret in eos, apud quos in honore & veneratione esse quempiā intelligeret, cuius gloriæ inuideret. Nihil igitur est opus, vt ea Christi Domini verba interpretemur; ad Christum in suis membris patientem recurrere. Verè enim Christum ipsum Saulus persequebatur; sed non nisi membra eius coniiciebat in carceres, ac vinctos in Hierusalem perducebat. Neque difficiliorem habent interpretationem Origenis verba. Quis enim dubitat eandem sententiā, qua martyr Christi causa damnatur in Christum ipsum pronunciari? Nā qui

qui impietatis damnatum martyrem addicit supplicio, quod Christianus sit: eadem sententia impiam Christi religionem, cultumque, Christumque ipsum eodem supplicio, ac grauiore etiam multo dignum pronũciat. Quid aliud autem est condemnari? Sed ego nolo tibi tam seuerus esse patruus: capiant sanè interpretationẽ istam hæc verba; num ideò efficies idem dici oportere etiam in reliquis? Vt quicquid vel de Christo dicitur ad membra, vel de membris affirmatur ad Christum commodè referatur. Dicitur Rex aut Imperator pugnare, confligere, vincere, vinci cum hæc per exercitum suum patrat, etiam si ipse ne euaginauerit quidem gladium, easq; loquendi rationes patitur humani sermonis consuetudo: ideo ne etiam dicetur occidi, si occiso exercitu ipse superstes atque incolumis sit? Qua igitur consequutione necessarium est; vt si Christus benè dicatur aut condemnari, aut persequutionem pati, cum martyr hæc eius causa pertulerit, etiam mori, atque occidi dicatur? Ea te res impulit, vt causam tuam proderes ac dum officere nobis cupis, tuis oculos euelleres. Concedis enim id quod vestri homines stultè illi quidem, & imperitè contra omnem antiquitatis fidem; sed præfractè tamen pernegant, Beatum Petrum Romæ & fuisse, & mortem obiisse. Narras ex Ambrosio in oratione contra Auxentium, libro quinto, Epistola 3. Beatum Petrum cum à gentibus conquireretur ad mortem, rogatu fidelium tantisper cedere statuisse; cum egredienti vrbem factus est obuiam Dominus, ac percunctanti quo iret, respondit ire se Romam iterum crucifigi. *Intellexit*, inquit Ambrosius, *ad crucem suam Dominicum pertinere responsum; Christus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem paßione suscepta mortis exuerat. Intellexit ergò*

 Petrus,

Petrus, quod Christus iterum crucifigendus esset in seruulo. ac prolato Ambrosij testimonio. *Qui ergo*, inquis, *in Petro crucifixo Dominum crucifixum intelligis: Romæ Dominum crucifixum agnoscas oportet, quia Romæ Petrus est crucifixus.* Qua tam luculenta confessione veritatis nihil es assequutus aliud, nisi vt obesses tuis. Nam Ambrosius non aliunde narrat intellexisse Petrum, ad crucem suam dominicum pertinere responsum; nisi quia cum Christus resurgens ex mortuis, iam non moriatur, propriè ad Domini mortem vox ea referri non potuit; quæ etiam fuit causa, cur ita Dominus lõqueretur; cum satis appareret ex ipsa loquentis conditione, tropum in verbis iis latere. Ita si Ambrosio credimus, eam interpretationem verba illa non caperent, nisi loquentis conditio cogeret in aliam à sua significatione traducere. Quid autem simile in his B. Ioannis verbis inuenies? Addidit Ambrosius Christum in seruulo fuisse crucifixum. Ita dura illi visa est ea loquutio: vt cum satis ex superioribus cõstaret, quorsum ea verba pertinerent; tamen molliendã existimaret. At in Apocalypticis iis verbis, de quibus controuersia est, nihil quod eam lonquendi rationem emolliat, nihil quod minus alienam reddat à communi vsu sermonis, inuenies. Et verò cum nemo reprehensurus sit; si quis dicat Patrem in filio, aut in amico carissimo amicum interfectum fuisse: nemo tamen erit, qui non maximè abhorrentem loquẽdi rationem à sermone hominum, ac minimè ferendam existimet, si quis absolutè dicat, Patrem vel amicum interfectum fuisse, vt significet non aliter indoluisse amici vel filij morte, quam si ipse fuisset interfectus.

3. *Qui sint duo Pro-*

De loco satis disputasse videmur; reliquum est, vt de Prophetis ipsis, quos missurum se Dominus pollicetur,

tur, Patrum sententiam cum Abbati interpretatione conferamus. *Dabo*, inquit Dominus, *duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis & sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* Hæc nos ita, vt scripta sunt, intelligimus. Futuros duos insignes Dei seruos, qui extremis mundi temporibus exemplo, ac prædicatione sua peccatores ad pœnitentiam prouocent, atque impiis Antichristi conatibus opponant se se. At Abbatus cap. 6. sect. 2. ad martyres nascentis Ecclesiæ vult hæc referri; qui Romanorum Principum immanitatem fidei cõstantia vicerunt. Duos porro dici, non quod numerus hic aut mysterium habeat, aut quicquam certi definitique designet: sed vt alludat ad locum Zachariæ 4. de duabus oliuis stantibus in conspectu Domini. Neque enim minus Ecclesiæ Christianæ in turbis illis persequutionum prospectum esse virtute sanctorum; quam Synagogæ olim duobus illis viris, qui duabus oleis apud Zachariam exprimuntur. Sed primum quidem nostra explicatio vel aduersariorum iudicio ipsis Spiritus sancti verbis magis consentanea est: vt nisi quid magnoperè impediat, ea verior censenda sit. Deinde si in binario illo testium numero nihil aliud significare nobis Dominus voluisset; multò accommodatius ita dixisset. Et dabo testibus meis, & prophetabunt, *&c.* Hi sunt duæ oliuæ. Ita enim neque testium numerum definiuisset; & satis indicasset eandem ab iis operam nauatum iri Ecclesiæ, quam olim duo illi viri Israëlitis nauassent. Nũc verò cum nominatim duos testes expresserit: qui vel eodem fungantur in Ecclesia munere, quo illi olim in Synagoga, vel vt alij melius interpretantur duobus illis viris quasi animatis, ac viuentibus symbolis adumbrati sint

phesa, qui pugnaturi sunt cum Bestia.

ſint: hæc Abbati interpretatio locum nullum habere poteſt. Adde prophetiæ eorum tam certo dierum etiã numero definitum tempus quod ad naſcentis Eccleſiæ martyres accõmodari non poteſt, de quo, quia ita Abbato placet, infra diſputabimus; pergamus. *Et ſi quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum, & ſi quis voluerit eos lædere; ſic oportet eum occidi. Hi habent poteſtatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum. Et poteſtatem habent ſuper aquas, conuertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga, quotieſcunque voluerint.* Hæc nos, item vt ſuperiora, ita accipimus, vt à Deo dicta ſunt: fore vt ea prodigia quibus Elias, ac Moyſes Regum olim perſequentium furorem infrænarunt, & fregerunt contumaciam; in iis renouẽtur, cogantque hoſtes tamdiù ab iis manus abſtinere; dum ſtatutum à Deo prædicationis eorum tempus abſoluatur. Quem locum obſcurare tenebris, quando ad rem ſuam accommodare non poterat, Abbatus inſtituit. *Iſti teſtes*, inquit, *quanquam aſſiduè ſuccisi prorſus interituri videbantur: nouo tamen ſubinde germine ſuccreuerunt, ſuccedentibus ſibi inuicem paſtoribus, qui ferendis illis lanienis, & carnificinis fidelium animos confirmarent, ac mortem potius oppetendam, quam abnegandam fidem perſuaſerũt.* Qua in interpretatione primũ illud incõmodi eſt, quod eorum prodigiorum, quæ hic duobus illis teſtibus tribuuntur à Spiritu ſancto, nulla fit ac ne fieri quidem poteſt mentio: niſi ad inauditas, atque abſurdas allegorias veniatur. Deinde quod cum ſcripturæ verbis minimè congruit; qualis enim ea interpretatio eſt? nemo iis nocere, nemo eos lædere poterit ante exactum prædicationis eorum tempus; hoc eſt, quamuis eorum plurimi, ac ferè omnes (quotus enim quiſque tunc temporis

poſtor

paſtor rabiem perſequutionis effugit?) quamuis igitur ferè omnes igni ferroque conſumpti ſint: tamen aliis cadentibus eorum loco alij ſucceſſerunt. Quid tandem eſt ſcrpturis illudere, ac verbum Dei per iocum, ac ludibrium iactare; ſi iſtuc eſt interpretari? Addit Beatus Ioannes: *Et cùm finierint teſtimonium ſuum; beſtia, quæ aſcendit de Abyſſo, faciet aduerſus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos.* Hunc tu locum Abbate, quaſi Syrenum ſcopulos occluſis etiam auribus ne ad eas quicquam accideret, quod ſanare te poſſet, ſilentio prætereuectus es. Qua enim ratione interpretari poſſes, fore vt expletis diebus prophetiæ ſuæ à Beſtia capti interficiantur: ſi toto perſequutionum tempore paſtorum ſuorũ ſanguine Eccleſia maduit? aut qua ratione expletis prophetiæ diebus capti atque interfecti ſunt; ſi poſt exactum perſequutionum tempus felix in ſumma pace vixit Eccleſia? ac tum demum Paſtores occumbere deſierunt; cum, ſi tibi credimus, interire omnes, ne vno quidem ſuperſtite debuerunt? Si enim dum ſæuiret perſequutio, ideò nemo eos lædere potuiſſe dicitur, quod aliis cadentibus alij eorum loco ſuccreſcerent: profecto tunc capti, atque occiſi fuiſſe dicendi ſunt; cum iis interfectis in eorũ locum nemo ſuffectus eſt. Denique quando tandem exiſtimas paſtores Eccleſiæ teſtimonium ſuum abſoluiſſe? cum nunquam deſierint teſtificari Euangelium gratiæ Dei. Nam ego quidem aliud teſtimonium, quod viuentes & incolumes, atque vt huius loci verbis vtar, à nemine læſi dixerint præter cõſtantem Euangelij prædicationem, ne fingere quidem poſſum.

Sed reliqua videamus. *Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus.* Hic ego primum ex te quæro Roberte de

ne id quidem verè dictum existimas, quod scriptum est Actorum 2. quo die Spiritus sanctus de cœlo delapsus mentes discipulorum afflauit; fuisse in Hierusalem habitantes Iudæos viros religiosos ex omni natione, quæ sub cœlo est, & audisse vnumquenque eorum linguam suam in qua nati erant. Parthos, & Medos, & Ælamitas, & qui habitabant Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum & partes Lybiæ, quæ est circa Cyrenē, Cretas & Arabas. Aut si id factum credis; quid impedit, quo minus idem fieri possit extremis mundi temporibus, cum maximi, atque opulentissimi imperij regia vrbs ea futura est? Et quidem si omnes tribus, linguas, ac nationes ei spectaculo interfuturas dixisset: tamen non inusitata, neque abhorrente à communi sermonis vsu hyperbola vsus esset: vt omnes nationes nonnullos omnium nationum homines appellaret. Nunc autem cum de tribubus, & linguis, & populis scribens ex singulis nonnullos expresserit: nè calumniæ quidem locū vllum reliquit. Pergit tamen Abbatus vel inscitiæ, vel insaniæ suæ blandiri. *Quod commodissimam*, inquit, *habet interpretationem de immanitate populorum omnium sub imperio Romanorum, qui corpora sanctorū & testium Iesu Christi feris, & alitib. passim proiecta, ne qua forte ab illis contagio manes eorū inficeret ab honore cōmunis sepulturæ depulerunt.* Quia nimirum aut tres tantum dies & semis, quot Beatus Ioannes hic enumerat, trecentorum annorum persequutio tenuit: aut extremis tantum persequutionis temporibus, hoc est post expletum tempus prophetiæ testium illorum, hoc barbaræ immanitatis genus vsurpatum est ab hostibus fidei: aut sanctorum corpora, quæ per omnes terras inhumata proiiciebantur, in pla-

teis Vrbis Romæ omnia iacuerunt; ideo commodissimam habent interpretationem hæc Apocalypsis verba; si ad immanitatem populorum omnium sub Romanorum imperio referantur.

Addit etiam alterum superiori non absimile argumentum. *Neque de duobus aliquibus*, inquit, *Hierosolymitanis accipi potest quod subiungitur, Et inhabitantes terram gaudebunt super illos* (testes occisos) *& latabuntur, & munera mittent inuitē. Quoniam hi duo Propheta cruciauerunt illos, qui habitāt super terā. Namquis putauerit duos sufficere, qui sermonibus suis crucient orbem terrarum, & testimonio suo populos in hanc insaniam vertant?* Elias vnus homo cū precationibus suis ignem deuocauit è cœlo; cum abactis nubibus terræ sterilitatem indixit: satisne tibi videtur Israëlitas, ac finitimos populos cruciasse? Moses & Aaron, duo homines quàm multis, quàm grauibus, quàm variis cruciatibus Ægyptios vexauerunt? & miraris duos illos testes eadem potestate præditos, omnes etiam gentes, ac populos cruciaturos memorari? atque vt incredibilia reddas oracula diuina, negas videri verisimile fore, vt sermonibus suis omnes gentes cruciare possint? at vbi tandem legisti eos sermonibus suis gentes cruciaturos esse? Cum tamen legeris habere eos potestatem claudendi cœlum ne pluat, vertendi aquas in sanguinem, *&c.* Illud apud indoctos fortasse plus habeat ponderis, quod subdis his verbis. *Aut credibile est tribus diebus, & dimidio, vt isti ad litteram interpretantur, duorum hominum necem in vniuersum orbem perferri, vt sibi gētes & populi de illorum tam exoptata nece gratulentur?* Nihil minus. At si ad omnes gentes & populos tam breui tempore perferri nuntius ille non poterit; ne ad regionē quidem vnam perferri posse daturus es? quàm vsitatum

autem

autẽ est scripturis, vt terræ nomẽ absolutè, ac sine vllius vocis additione pro certa aliqua regione supponant? Gens. 12. versu 6 Chananeus autem tunc erat in terra, Genes. 36. 20. Isti sunt filij Seir Horræi habitatores terræ, Gen. 42. 30. loquutus est nobis dominus terræ durè. Nũ. 32. 52. confringite titulos, & statuas comminuite, atq; omnia excelsa vastate mundantes terram, & habitantes in ea. Et vers. 55. Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ: qui remanserint, erunt vobis quasi claui in oculis, *&c.* Quid igitur impedit quo minus, cùm Beatus Ioannes scribit fore, vt inhabitantes terrã gaudeant super illos, & iucundentur; de ea regione, locisque sermonem habeat, quæ Hierosolymis finitima facile nuncium accipere poterunt? Cum & ipsa verborum series ita interpretari cogat, & vsitata scripturis ea vocis huius significatio sit; quanquã quis ignorat, quã vsitata hyperbole quod multorum est, id omnibus tribuamus? Quare si quod in oculis maximæ atq; amplissimæ terrarum ciuitatis gerendum est; id in orbis terrarum, atque omnium gentium oculis gerendũ scripsisset; nihil scripsisset Beatus Ioannes à communi cõsuetudine sermonis alienum. Cuius rei si minus Apostolorum, ac Prophetarum, at parentum tuorum Pharisæorum vsus admonere te debuit: qui Ioan. 12 19. vt ostendant multos ex Iudæis in Christum credidisse. ecce, inquiunt, mundus totus post eum abiit. Sed hunc ipsum locum tu qua ratione ad rem tuam accommodas? *Vltro fluit sensus*, inquis, *si de testibus illis, & martyribus exponamus, quibus gentes è Romano Imperio Tyrannidi & furori suo seruiẽtes ob Christi testimonium infrenduerunt, de cædibus eorum continuis, & sanguine vehementer sibi gratulantes, & inde sibi fausta omnia, & felicia promittẽtes, vt in illo Maximini rescri-*

pto apud Eſebium lib. 9. cap. 7. videre eſt. Fluit ille quidē, ſed lutulentus, ac te dignus interprete. Nam vt non ſemel iam adnotaui prædicationis teſtium eorum tempus confundis, ob eamque rem etiam miſces tempus, quo gentes cruciatæ narrantur à teſtibus, cum eo tempore, quo illis occiſis quaſi parta iam victoria hoſtes eorum triumphant. Nimirum perſequutionum, idem eſt prædicationis, idem mortis martyrum tempus; quo, ſi tibi credimus, ita lædi non poterant: vt velut oues occiſionis quotidie gregatim mactarentur. At ſcriptura diſertè luculenterque conteſtatur fore, vt non ante eis noceri poſſit; quàm finierint tempus prædicationis ſuæ, quod diebus mille ducentis ſexaginta circumſcribitur, eoque exacto tum demum fore, vt capti interficiantur à beſtia, cum ingenti eorum qui cruciati ab iis fuerant lætitia. Nimirum vobis quod cuique in mentem venerit; id demum ſcriptura diuina loquitur.

Pergit Beatus Ioannes. *Et poſt dies tres & dimidium Spiritus vitæ à Deo intrauit in eos, & ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus cecidit ſuper eos, qui viderunt eos, & audierunt vocem magnam de cælo dicentem eis. Aſcendite huc, & aſcenderunt in cælum in nube, & viderunt illos inimici eorum.* Quod vaticinium nos, pro ea, qua verbum Dei veneratione proſequimur, ita vt ſcriptum eſt, intelligimus: tu ne quid concedas ſanctorum gloriæ, cum quibus tibi partem, aut ſortem nullam eſſe non ignoras. *Expletis*, inquis, *illis ſiue menſibus, ſiue diebus* (tibi enim perinde eſt menſemne an diem, horam, an luſtrum, an ſæculum ſcriptura cõmemoret) *Et pace Chriſtianis Chriſto vincente reddita; ſteterunt Eccleſiæ Paſtores pedibus ſuis.* Prius ergo iacebant mortui. At quando vnquam Eccleſia victa ſuccubuit? quando ſtare paſtores deſierunt? Cũ

totum

totum persequutionis tempus, auctore te, tempus fuerit testimonij eorum, quo non modò lædi non poterãt, sed etiam gentes ipsi excruciabant. Perge porro. *Et intellectum est*, inquis, *in nomine Christiano diuinum quiddam inesse; quod neq; ferrum, neq; flamma, non equulei, non vngulæ, non candentes laminæ, non ingeniosus ille omnis tormentorum apparatus absumere potuisset, nec impedire, quo minus Ecclesia ex procellis istis & fluctibus mundum vniuersum sibi hactenus infestum obtineret.* Hæc est per te illa duorum testium resurrectio. At ô bone vir si cùm captos, cùm occisos duos illos Christi testes, cùm proiecta eorum corpora inhumata spectaculo fuisse gentibus Propheta narrat, de vera morte, verisque corporibus intelligi oportere existimas: cur cùm spiritum vitæ intrasse in eos, qui occisi fuerant, audis; allegoricum nescio quẽ ad vitam reditum, atque alios quosdam supponis qui nunquàm mortui reuocẽtur ad vitam? An quia mentis vestræ captu metiri omnia soliti, nihil nisi abiectum & humile de diuina vi, ac potestate sentire consueuistis, ne id quidem à Deo fieri posse existimatis? Sed cum nube vectos in cœlum eos ascendisse audis, qua tandem ratione explicaturus es? *Quo tam illustri*, inquit, *tam splendido Christi triumpho videbantur, iam ad cœlum vocati; qui sepulti putabantur in inferno; & in illa Christiani nominis eminentia tanquam in nube ad cœlum ascendere visi sunt.* Infelix ita diuinas promissiones terrena felicitate & gloria terminas; & cui nulla est alia surrectio, quam abiectionis, & miseriarum in hoc sæculo finis, nulla est alia gloria filiorum Dei, quam obscurus hic rerum humanarũ splẽdor, ac vulgi inanis admiratio. Agnosco in Abbato Porphyrij spiritum Christianæ religionis odio diuinas litteras ad alia omnia detorquentem. Qui geminnm

planè

planè Danielis de mortuorum reſurrectione vaticiniū ſimili explicatione peruertit. *In tempore illo*, inquit Angelus, qui Danielem docebat, cap. 12. *Saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit ſcriptus in libro; & multi de his, qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant ſemper. qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Quem locum, vt Eccleſiæ vaticiniorum gloriam auferat, apud Beatum Hieronymum ita interpretatur Porphyrius. *Reddita victoria, & caſis Antiochi ducibus, ipſoq́; Antiocho in Perſide mortuo ſaluatus eſt populus Iſraël, omnes, qui ſcripti erant in libro Dei, hoc eſt, omnes qui legem fortiſſimè defenderunt. Et è contrario qui deleti ſunt de libro, hoc eſt qui præuaricatores extiterunt legis, & Antiochi fuerunt partium. Tunc ait, Hi qui quaſi in puluere dormiebant, & operti erāt malorum pondere, & quaſi in ſepulchris miſeriarum reconditi, ad inſperatam victoriam de terræ puluere ſurrexerunt, & de humo eleuauerunt caput cuſtodes legis reſurgentes in vitam æternam, & præuaricatores in opprobrium ſempiternum. Magiſtri autem, & doctores, qui legis notitiam habuerunt, fulgebunt quaſi cælum, & qui inferiores populos exhortati ſunt ad cuſtodiendas cæremonias Dei, ad inſtar Aſtrorum ſplendebūt in perpetuas æternitates*, &c. Hæc Porphyrius, qui vt ait S. Hieronymus, *quaſi contritus coluber tamen eleuabat caput, & moriturus in eos, qui morituri erant venena diffundebat.* Quem tu locum, ſi vidiſti vt interpretationem impij hominis odio Eccleſiæ in tua ſcripta transferres; ſatis oſtendis quantum repudiata Patrum auctoritate profeceris, qui te in diſciplinam hominis perditi ac deſertoris fidei dederis: ſin interpretationem iſtam per te ipſe excogitaſti; eodē ſpiritu agitari te prodis

dis, cuius similitudine in eadem cum illo vestigia impietatis incideris.

His ita constitutis constare videntur cetera, quæ eo capite Spiritus sanctus prædicit: numerus ille vel dierũ, vel mensium, cuius ibi mentio fit, nondum satis explicatus hoc loco est. Quanquam enim supra solutis iis sophismatis, quibus Patrum interpretationem Abbatus cum primo; tum octauo capite labefactare conatus est; satis ea sententia probata videri debet, quæ cùm nihil contineat absurdi, Dei verba, ita vt dicuntur, intelligit; neque plus sapit, quàm sapere oporteat hominem humilem, & trementem sermones Dei: quia tamen ipsa falsitatis improbatio magna est probatio veritatis; operæ pretium erit Abbati interpretationem diligentius examinare; vt intelligant isti nouorum dogmatum studiosi, quos Duces contemptis iis, quos tot iam sæculis Ecclesia coluit, in sacrarum litterarum explicatione sequantur.

4. Quid significet summa illa temporis prophetia duorum testium.

Is igitur postquàm putida illa sua, ac centies decantata sophismata duabus sectionibus protulit, vt timida est mendacij conscientia. *Et si nolim*, inquit, *quicquam definire: proponam tamen quod mihi videtur proximè ad veritatem accedere: iudicium penes Ecclesiam & pios esto.* Et post pauca. *Neque tamen quicquàm hic nouum fortasse apporto: sed dum ea, quæ ab aliis dicta sunt liberè expendo: videre mihi videor aliquid, quod animum meum vehementer ad se rapit.* Hoc autem quid tandem aut quale sit, sic explicat. Referri summam hanc vel dierum, vel mensium ad id tempus, quo Ecclesiam Romani Imperatores Idololatriæ studio diuexarunt. cur autem duorum, & quadraginta mensium, vel dierum mille ducentorum & sexaginta numero tria illa propè secula denotentur, ad

finem 4. sect. ita docet. *Definito mensium, & annorum numero, certum quidem tempus à Deo præstitutum, non ipsis numerorum apicibus expressum, vt à priori diiudicari ab Ecclesia potuerit, sed diuino tantum consilio, & prouidentia numeratũ & circumscriptum, à nobis autem non nisi ex euentu & à posteriori cognoscendum. Illud autem voluisse Deum stata mensium, & dierum comprehensione notari, & diuersas adhiberi supputationes omnes ad idem recurrentes; partim vt agnoscerent fideles momenta ipsa, & articulos temporum illorum, mẽses, & dies, & semisses dierum Deo exploratissimos constitisse. partim vt in ærumnis illis, & miseriis se confirmarent, tanquam non nisi mensium, & annorum intuitu.*

Quem ego locum ita tractabo, vt ostendam ad persequutionum tempora numerum hunc dierum, ac mẽsium non benè referri rationes quibus adductum se dicit, vt vaticinium hoc ad Antichristi tempora spectare negaret, quia ex 13. Apocalypseos capite petuntur, in cũ locum reiiciam. Ac primò quidem quæro ab homine, idemne tempus significari existimet tribus illis diebus, ac semis, quos in plateis magnæ ciuitatis testium occisorum corpora iacebunt; cum diebus mille ducentis, & sexaginta prophetiæ eorum? Nam id negare quî potest? cum vtroque dierum numero totum persequutionis tempus contineatur. Quam autem ridiculum est, eodem in loco, atque eodem orationis textu eadem de re loquentem Spiritum sanctum, idem tempus nunc diebus tribus mille ducentis & sexaginta, nunc diebus & dimidio denotare? esset aliqua horum numerorum ac temporum comparatio; vt cùm non multum differrent alterum pro altero poni posset: non multum laborasse Spiritum sanctum diceremus, vt eundem numerum semper reponeret, præcipuè cum non certum tempus significaret. At in tanto numerorum discrimine, tam-

ne, tamque ingenti temporum interuallo, nisi insanum Beatum Ioannem facias, qui somniare potes, tres dies ac dimidium pro mille ducentis, ac sexaginta fuisse ab eo suppositos? Adde quod tres illi dies, & dimidius ab exacto tempore prophetiæ testium numerantur, hoc est post dies illos mille ducentos & sexaginta: non potest igitur idem planè temporis spatium, vtroque dierum numero significari, nisi fortè idem tempus nouo, atque inaudito miraculo postquam semel elapsum est, Deus iterum reuocauerit: vt sibi ipsi iam ante lapso reparatũ succederet, ac se ipso prius idem, posteriusque laberetur. Huc accedit quod testes illi toto eo tempore, quod ciuitati sanctæ à gentibus obtinendæ adscribitur, lædi nunquam potuerunt, hoc est diebus mille ducentis & sexaginta; post illos dies capti, atque occisi à bestia memorantur. At si persequutionum tempus illud est, quo ciuitas sancta calcatur à gentibus, eo maximè tempore capti atque occisi fuisse dicendi essent. Ac ne illud quidem indignum est, cuius ratio habeatur; quod numerus hic vel dierum, vel mensium tam diligenter ac religiosè obseruatus tum hoc, tum cap. 13. Apocalypseos vacare mysterio non videtur; vt nisi hic ipse dierum numerus futurus sit, aliquid aliud causæ sit, cur numerus hic tam constanter potestati bestiæ tribuatur. neque enim quicquam in sacris litteris per imprudentiam excidit Spiritui sancto. Neque verò rationes eæ, quas afferre conatur Abbatus, quicquam efficiunt. Nam quod ait id spectasse Spiritum sanctum; vt quamuis nesciremus quantum tandem tempus persequutionum futurum esset: intelligeremus tamen quantum quantum illud esset certum ac definitum apud se esse. Primum ridiculum est. quis enim est, qui ex obscurissimo vaticinio

certius exploratiusque cognouerit, constare Deo certum dierum numerum, quo vexari Ecclesiam ab Ethnicis pateretur: quam ex iis, quæ de paterna eius in hominum genus, atque in primis in Ecclesiam prouidentia tam disertè luculenterque passim diuina oracula cõtestantur? Nam eius quidem vaticinij, si id significat tãta obscuritas est, vt nullus eorum, qui in iis persequutionum procellis versati sunt, intellexerit ad se atque ad sua tempora pertinere: certè veterum nullus in eam interpretationem incidisse memoratur. at vaticinium illud ad corroborandam fidem, confirmandamque veteris Ecclesiæ constantiam futurum erat vtile. quare aut clarius, explicatiusque scribi, aut eius interpretatio reuelari tunc temporis debuit. nam nobis post tam diuturnam Ecclesiæ pacem sine vllo vaticinio certissimum est, non modò definitum illud tempus apud Deum iam inde ab initio fuisse: sed etiam, id, quod in arcanis suis tunc temporis latere Dominus voluit, satis constat quãtum tandem illud futurum fuerit. Quorsum igitur seruorum suorum neminem rem tantam tunc docuit Spiritus sanctus? An tanto mysterio capiendo idoneus nemo fuit in Ecclesia, priusquam Robertus Abbatus ad necem propter crudelitatem ab Oxoniensi iuuentute conquisitus, per fenestram delapsus saluti suæ fuga consuleret?

Quid; altera eius rationum plus habet ponderis? minimè verò. An si alium alio in loco numerum horum vel dierum, vel mensium adhibuisset; modo is exiguus esset, non satis significare potuisset non diuturnas eas calamitates futuras atque ærumnas fuisse? quorsum ergo tã religiosè numerus ille semper adhibitus est? Præsertim cum constans illa eiusdem numeri repetitio erroris

roris occaſio lectoribus eſſe poſſet; vt quod ſine variatione ſeruatum viderent; id propriè, atque ita vt ſcriptũ erat, accipiendum exiſtimarent. quo fieret, vt vel de aliis temporibus vaticinium interpretarentur, id quod antiquis omnibus accidit; vel ſi de ſuis temporibus ea ſcripta eſſe arbitrarentur, cum ſpes ſuas deluſas crederent; de ſcripturarum fide dubitarent. Quod ſi tamen intelligerent, id ſignificare voluiſſe Deum, quod Abbatus commentus eſt, breue tempus id eſſe, quod dierum ac menſium numero in ſcripturis exprimeretur: id ipſum vix quicquam ad eorum ſolatium facere potuiſſet. Intellexiſſent enim eo modo dies, & annos in ſcripturis dici, quo totum hoc tempus à Chriſto nato ad dies vſque iudicij, nouiſſima hora dicitur. Quo modicum, aliquantulumq́ue vocatur apud Prophetam id temporis, quod ab eo vaticinio ſcripto ad Chriſtum vſq; interceſſit. quo mille anni ante oculos eius ſunt tanquam dies heſterna, quæ præteriit. quantum autem, quamq́ue infinitum ærumnarum ſuarum ſpatiũ futurum exiſtimaſſent id, quod diebus mille ducentis, & ſexaginta deſcribitur? cum modici, aliquantulique, vel vnius horæ vocabulo ſignificari annorum centurias, ac millia non ignorarent. Nam ſiuè ad temporis breuitatem, ſiuè ad certum definitumque ſpatium ſignificandum, quid opus fuit, numerum tam multis maioribus, minoribuſque conſtantem numeris adhibere? cum communis conſuetudo loquendi, ſi quando numerũ pro numero ſupponit, nunquam niſi plenos, ac rotundos numeros ſoleat vſurpare? cur igitur non dies mille, bis mille, centum, ducentos, ſexaginta; menſes item quadraginta, quinquaginta viginti potius adhibuit, quàm numerum illum, quo nunquam niſi certum, ac definitum nume-

rum explicare cōſueuimus? Deniq; cū ſuperiore diſputatione iam apertè docuerimus, non poſſe capitis illius vndecimi vaticinium ad tempus perſequutionum referri, quæ ſub Ethnicis Principibus naſcentem Eccleſiā vexauerunt: non habent vnde colligant aduerſarij tempus hoc paucorum dierum, ac menſium, integras annorum centurias continere. Sed ecce tibi mendaciſſimi ſcriptor Martyrologij Foxius, Zvvingliano plenus ſpiritu, neſcio quæ ſomnia euigilāti ſibi primum obiecta, nobis obtrudit; quæ Abbatus capitis octaui ſectione quinta, ſextaque ita proſequitur, vt cùm ingenuè fateatur eius interpretationis cauſam nullam videre ſe ſe: tamen non reiiciendam exiſtimet, quod is cœleſti quodā inſtinctu inditam ſibi eam aſſeueret. quaſi mentiri non poſſit, cùm de ſe, ac ſuo ſpiritu teſtimonium dicit is, qui de rebus compertiſſimis, teſtatiſſimiſq; tam multa impudentiſſimè paſſim mentitur. Is cùm quadraginta hos duos menſes, dies mille ducentos ſexaginta, tempus & tempora, & dimidium temporis Ethnicorum Imperatorum perſequutionibus aptare omnino ſtatuiſſet; neq; vllam inueniret rationem, qua annos tres, ac dimidiū, quot eo numero conficiuntur, in trecentos ferè illos annos conuerteret, quibus ij in Eccleſiam ſæuierunt: narrat die quodam dominico, cum expergefactus mane de numeris illis cogitaret, ſubitò ſibi tanquam intra ſe cum Maieſtate quadam reſponſum ſenſiſſe. *Quin inepte menſes iſtos per Sabbata numerato, pro vt hebdomada Danielis Sabbata computantur.* Se porrò eo oraculo permotum, cum ſeptenos annos in ſingulos menſes numeraſſet: comperiſſe duobus, & quadraginta menſibus, annos ducentos quattuor, & nonaginta contineri. Quos ita ad Ethnicorum Principum perſequutiones accommodat

modat

modat. Nã à nato Domino ad Licinij mortẽ annos fluxisse omnino supra trecentos, quatuor & viginti, è quib. si demas triginta annos, quot agebat Dominus cũ à Ioanne baptizatus est, reliquos esse annos ducentos, quatuor & nonaginta. Ioannẽ porro eo ipso anno esse sublatum ab Herode Romano, vt ait Abbatus, Præside, cũ baptizato Domino, mox in carcerem coniectus, non ita multò pòst securi percuti iussus sit. Quare à morte Ioannis ad redditam Ecclesiæ pacem eum annorum numerum intercessisse, quem quadraginta illi duo menses ad vnguem reddunt. Quo in Foxiano oraculo nihil est sapientius, quàm quod ineptum eum hominem appellauit, cui ea deliria persuaderi possent. Quid enim habent simile Danielis hebdomadæ, cum his hominis ineptissimi mensibus? Nam hebdomas, siue hebdomada græco vocabulo septenarium quendam rerum numerum significat, vt decas denarium, trias ternarium, monas vnitatem. Quare si vim vocis attendas, non minus ad annorum, quàm dierum, vel mensium septem numerum accommodari potest. vnde non ineptè ad septem annorum numerum significandum ea vox adhibita est: præsertim cum Leuit. 25. annorum hebdomadas iam ante Dominus appellasset; præterea hebdomada licet spatio temporis dissimilis omnino sit, septẽ annuis spatiis: tamen cum septem diebus contineatur, par numero partium est. quare etiam si vis ipsa nominis hoc non indicaret; posset ad septem annorum spatium significandum non absurdè transferri. Quid autem vel longinquitate temporis, vel numero partium habet simile mensis cum septem annorum circulo? quod idem est si Sabbata numeres. erat enim apud Hebræos vt dierum, ita etiam annorum Sabbatũ. Quando ingressi fueritis,

ritis, inquit, Dominus Leuit. 25. terram, quam ego dabo vobis, sabbatizes sabbatum Domini. Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus eius; septimo autem anno sabbatum erit terræ, &c. Quare neque nouum, nec insolens fuit annorum sabbata, & hebdomadas numerare. at menses istos sabbaticos, vbi tandem locorum reperit Foxius? Iam ne in temporum quidem ratione subducenda fidelis est. Nam Licinij mors, si Baronio credimus, in annum Domini incidit 318. qua è summa si triginta illos priores Domini dempseris, reliqui erunt omnino anni 288, hoc est menses Foxiani vnus circiter, & quadraginta. Sin autem Eusebij Chronico stare malimus; cum Licinij mors adscribatur anno Domini 327. demptis illis triginta, reliqui erunt anni 297. hoc est Foxiani menses quadraginta duo cum dimidio. Ac ne de Ioannis quidem nece Foxiana temporum ratio cõstat: cum ea post secundum prædicationis Christi pascha contigerit, vt patet ex Cornelio Iansenio in secunda parte cõcordiæ, & ex Baronio, qui eam in initium anni trigesimi tertij Domini reiicit. quare etiam si demus mortẽ Licinij anno Domini 324. contigisse; menses integri quadraginta duo Foxiani numerari non possunt. si enim Ioannes duos & triginta annos post Christum natum mortuus est: reliqua summa erit annorum 292. ad annum vsque 324. quo Foxius mortem Licinij contigisse ait. quare duo anni deerunt ad eam summam conficiendam, quam sabbatismis suis efficere Foxius nititur. Ac ne multo quidem melius, vel Eusebiana, vel Baroniana temporum ratio conuenit. Nam à 32. anno Domini ad 318. anni numerantur omnino 286. ad 327. fluxerunt anni 295. Vt nulla

nulla planè iniri possit temporum ratio, quæ cum Foxiano commento consentiat.

Adde quod dierum numerus, quo à Beato Ioanne hæc ipsa mensium summa redditur, nullo modo aptari ad hanc supputationem potest. Quanquam enim nescio quid hac in parte conatus est vel Foxius, vel vt Foxium ipsum fulciret Abbatus: in ipso tamen conatu deficit. *Vbi leguntur*, inquit, *tres dies, & dimidius (diem autem ad Christi rationem intelligimus, nónne sunt duodecim horæ diei) si singulas dierum istorum horas pro singulis mensibus accipiamus, efficiuntur menses 42. si pro annorum sabbatis, prior numerus exurgit annorum ducentorum nonaginta quattuor, quibus corpora Sanctorum in plateis Imperij Romani occisa narrantur, & insepulta iacuisse.* At meminisse vir non eruditissimus debuit, horis inæqualibus veteres tum Romanos, tum Hebræos diem ita metiri consueuisse, vt in tanta nocturnorum diurnorumque spatiorum varietate, in duodenas tamen horas tum noctes, tum dies cōstanter diuiderent; neque minus quatuor, & viginti horis diurna solis periodus contineretur. Neq; verò quisquam est tam amens, qui cùm tres dies audierit; eas etiam noctes, quæ intercedunt, non concipiat animo. Quæro igitur ex Abbato quid tandem eo loco diei nomine intelligi à Spiritu sancto velit? Nam si duodecim horarum spatium, siue diurnum, siue nocturnum illud sit, die vocabulo significatum putet: conficiet ille quidem duarum & quadraginta horarum numerum; sed in tribus hisce diebus nox vna minimum, ac dimidia numerabitur. Idemque erunt tres dies ac dimidius, quod duo dies cum nocte vna & semis: quis autem hominũ vnquàm ita loquutus est? Nisi forte quia dixit Dominus duodecim esse horas diei, Caluiniana dialectica effici

Abbatus existimat, duodecim horarum spatium, quodcunque demum illud sit, diem esse; vt si quis, quia homo animal est, animal quodcunque hominem esse cõtendat. Sin autem diei nomine neque integram solis periodum, neque quodcunq; horarum duodecim spatium, sed tempus id malit intelligi, quo hemisphærium sol illustrat: cum dies alter alterũ, nisi interiecta nocte, consequi non possit; sex & triginta nocturna horarum spatia ad duas & quadraginta diurnas horas adiicienda erunt. existet igitur numerus horarum octo & septuaginta, quas labi omnes necesse est; si duæ & quadraginta diurnæ horæ fluere debent. Neque verò illud etiam admiratione caret, quod integrum septem annorum spatium nouo more horæ vnius nomine ea interpretatio comprehendit. Denique vt tres illos dies ac semis ea interpretatione ad rem suam vtcumque accommodet, mille ducentos & sexaginta illos, qua ratione interpretabitur, vt annos reddant quatuor & nonaginta supra ducentos? Quodue mihi fundamentum inueniet in scripturis ternos ferè vsitatos hominib. menses in dies singulos cõpingendi? quod tamen fieri necesse est si sabbatici illi duo & quadraginta menses in dies mille ducẽtos & sexaginta explicentur. Nam Bethleemitici illi pueri, quos Herodis insana suspicio occidendi Christi studio sustulit, non modò post Christum natum; item vt Ioannes; sed quod in Ioanne non inuenies, Christi etiam causa extincti sunt. cur igitur à Ioannis potius, quã ab eorum nece numerandi fecit initium? Illud verò ridiculum, quod vt iam inde à Ioannis cæde Romanarũ persequutionum principium repetere iure videretur; scripsit. Ioannem ab Herode Romano Præside securi percussum esse. At quando vnquam, aut à quo hominum

num Herodes Galilææ Tetrarcha, præses Romanus appellatus est? Sed nimirum tam malæ causæ mendaciis, somniisque color inducendus fuit. Ego verò quadraginta ipsos annos de ista summa tibi detraham. Nam prima illa persequutio à Christo ad quartum vsque decimum Neronis annum, non Romanorum, sed Iudæorum fuit. Qui vbique contradicebant Euangelio, ac turbis miscebant omnia, ne procederet Christi religio. Nero primus è Romanis Principibus gladium exeruit in Ecclesiam; eo damnationis suæ, vt tu ipse ex Tertulliano dixisti, dedicatore gloriatur. ante id tempus, si quid actum à quoquam est, priuatum id Præsidis alicuius, aut Proconsulis, non publicum Romani imperij scelus fuit. At is Neronis annus in annum Christi septuagesimũ incidit, è qua summa si eos triginta demas, quorum ne tu quidem haberi rationem existimas oportere, quadraginta ad Neronianam vsque persequutionem reliqui sunt; quos tu Romanorum Principum persequutionibus ideò adscribis, quia tui tibi hebdomadici duo & quadraginta menses alioqui non constarent. Quos cũ non videas, qua ratione defendas: tamen reiiciendos non putas, quia tanti voluminis scriptori placuerunt. Patrum eruditionem, acumen, sapientiam, cõsensionem nihili ducis, cùm etiam inuidiosissimè clames, eorum literas non iudices esse, qui sententiæ necessitatem imponant; sed indices, quibus ita scripturas adeamus, vt ab iis discedere liceat, si quæ docent, non inueniamus in scripturis. Quin tu igitur quæ in eorum scriptis minus capis (quid autem boni isto ingenio capias?) tantorum virorum grauitati, sapientiæque concedis? aut cuius impudentiæ est, Foxio dare, quod Hie-

ronymo, Augustino, Basilio, sexcentis huius notæ viris ademeris?

Quæ cum ita sint quanquam & mira Patrum consensione, neque obscuris scripturæ testimoniis probare possumus, duos illos testes, quorum hoc capite mentio fit, quicquid repugnent aduersarij, Enochum, atque Eliam esse: tamen quia necesse nō est, libet ea disputatione in præsentia supersedere. Neq; enim nisi Enochus, & Elias hoc capite describerētur; ideò quæ scripta in eo sunt, aduersarios non iugularent. Accipiat itaque Abbatus id, quod animi causa homini misero dari potest, non significari duobus hisce testibus eos viros; accipiat eos ne viuos quidem esse, ac si ita libet, ne fuisse quidē vnquàm; idcóne inueniet in quos hoc vaticinium transferat? at quod tandem par virorū proferre poterit, quod duobus, & quadraginta mensibus cum bestia pugnans, atque inuictum interim ea miracula ediderit, tum captum, interfectumque Hierosolymis, post tres dies reuocatum ad vitam, inspectāte populo in cœlum ascenderit? quando vnquam Romani Pontificis Regia vrbs ea fuit, in qua Dominus noster crucifixus est? quæ nisi ad ineptas allegorias, ac tropos nunquā auditos mortalibus, reuocauerint; salui esse non possunt. Et ad scrituras deinde prouocant à Patrū iudicio? quas blasphemiarum suarum ancillas non iudices esse volunt. nec quid pronunciauerit Spiritus sanctus : sed qua ratione ad rem suam earum oracula trahere possint attendunt. Nos verbum Dei ita, vt est verè verbū Dei, suscipimus; nec diuinorum oraculorum vim nostris interpretationibus aut eludimus, aut eleuamus. illi quicquid non arriserit, aut expungunt, aut interpolant, aut ad allegoricas interpretationes transferunt, & tamen, si Deo placet,

cet,

cet, illi pro ſcripturarum maieſtate, ac veneratione depugnant: quam ſcilicet Pontificiorum vel incuria, vel contemptio abiecit in puluerem.

Caput decimum tertium Apocalypſis perpenditur.

SEQVITVR caput decimum tertium, ex quo argumenta depromere aduerſarij videri volunt, ne quis exiſtimet eos omni planè ratione deſtitui: ſed illud quantum quantum eſt, ita noſtrum eſt: vt vel ſolum ſatis eſſe poſſit ad ſectariorum impudentiam reuincendam.

Cum machinis omnibus oppugnatam mulierem nulla ex parte lædi à ſe potuiſſe cerneret Draco de cœlo deiectus; ac propter implacabile ſuum in eam odium, bellum ſemini eius inferre conſtituiſſet: ſtetit ſupra arenam maris, inconſtantes vulgi animos, ac parum ſtabilis fidei pectora, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ; vt perturbato rerum nouarum ſtudiis orbe terrarum, ex iis bellorum ac tumultuum fluctibus beſtia euocaret è mari; cuius opera ad Eccleſiæ peſtem abuteretur. Eam deſcribit B. Ioannes habentem *capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua eius decem diademata; & ſuper capita eius nomina blaſphemiæ. Ipſam porrò beſtiam ſimilem pardo; & pedes eius ſicut pedes vrſi; & os eius ſicut os Leonis.* Beſtiam hanc cap. 2. ſect. 4. eandem eſſe cenſet Abbatus cum ea, quæ capite 17. deſcribitur: eiuſq; ſeptẽ capitib. ſeptẽ ſupremos magiſtratus, qui Romæ ſummũ Imperium tenuerunt, in quibus ſeptimũ numerat Antichriſtum. item vt cap. 3. ſect. 6. *Res aperta eſt*, inquit, *quid moramur? beſtia ſeptem capitum ſedentis in ſeptem mon-*

1. *Quid ſepticeps beſtia Capitis 13. ſignificetur.*

tibus, hoc est in vrbe Romana septimontana dominantiũ, caput septimum est Antichristus. Quare cùm Antichristus vnus sit è septem bestiæ capitibus, ad verum eius corpus necessariò pertinebit. Sectione autem eius capitis septima Romanam etiam ciuitatem cum Bestia ita confundit, vt idem esse existimet Romanam ciuitatem, bestiam, Antichristum, ac purpuratam meretricem. *Purpuratam meretricem,* inquit, *tu Romam agnoscis; Bestiam Antichristũ, & eidem conuenire certum est bestiam & purpuratam meretricem.* Et mox: *Si illorum sententia non acquiescis; Ioannes te docebit; qui vbi mulierem, seu meretricem ait sedere super bestiam coniunctissima esse confirmat, & vnum quasi corpus, siue complexum efficere bestiam & meretricem, quod si idem sonent meretrix & bestia: certè Roma, quæ te fatente sedes est purpurata meretricis, per te quoque necesse est sedes intelligatur Antichristi.* Ceterum non sum ignarus docere nonnullos viros & pios & eruditos, eandem planè esse bestiam, quæ hoc, quæque cap. 17. describitur, eaque Romanum Imperium significari: eius septem capitib. numero certo pro incerto Imperatores omnes indicari, in iisque Antichristum esse: non quod Romanus Imperator futurus; sed quod easdem prouincias in potestatem redacturus sit, quæ Romanæ olim ditionis fuerunt: decem cornua decem eos esse Reges, in quos Romani Imperij prouinciæ ante Antichristi aduentum diuidendæ sunt. Cum quibus mihi in eo conuenit: quod Antichristum vtraq; bestia aliquo modo significari volunt: quod & ea, quæ vtrobique scribuntur, magna ex parte in eum quadrant; & veterum in eo mira consensio est. Quod autem duas hasce bestias miscent, quodque Imperium Romanum significari iis existimant; cum neque maiorum nostrorum constans ea interpretatio sit, neq;

verò

verò eam tam facilè scripturæ admittant: neque planè probare possum, neque improbare ausim. Ostendimus libro secundo non deesse rationes quibus effici videatur 17. capitis bestiam & ab ea differre, quæ hoc capite ponitur; neque Romani Imperij typum esse: nunc quare ea bestia, quæ capite hoc describitur, Antichristum ipsum, non Romanum Imperium significari existimemus; breuiter nobis reddenda ratio est.

Impulit me in eam sententiam caput septimum Danielis; in quo quarta illa bestia omnium ferocissima Romanum Imperium omnium maximum, maximeque diuturnum designari certissimum est. Cuius bestiæ decem cornua decem esse Reges, Daniel ipse contestatur; qui non ita describuntur, quasi sibi inuicem successuri, atque idem Imperium occupaturi sint: sed quasi eodem tempore regnaturi. quod aliter non potest intelligi, nisi eæ gentes, quæ vno Populi Romani Imperio censebantur, deinde pluribus Dominis pareant; hoc est, nisi vno imperio in decem regna diuiso: quare constans est, etiã aduersariorum confessione sententia, Antichristum non ante venturum esse, quàm Romanum Imperium deleatur. Decem porrò illos Reges eodem tempore regnaturos esse: docemur cap. 17. Apocalypsis, vbi decem ij reges, qui decem bestiæ cornibus designantur, regnum eodem tempore accepturi memorantur: quo fit vt & simul, neque nisi desolato Romano Imperio regnaturi sint: si enim in decem illis Regibus Romanus Imperator numeraretur, qui tanto tempore iã ante regnauerat: regnum eadem hora cum ceteris non diceretur accipere. Et verò si cetera deessẽt, vel eo colligi posset quod cornu quoddam vndecimum post decem illa priora enatum vidisse se Daniel memorat; quod initio paruu-

paruulum, paulatimque succrescens ex decem illis cornibus tria euulserit, id quod eodem capite ita interpretatur Spiritus sanctus. *Porrò cornua decem ipsius regni decẽ Reges erunt. Et alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit.* Rex autem ille, qui vndecimo cornu designatur superioribus longè potentior; Antichristus sine dubio est: de quo Daniel eo loco ita vaticinatur, *Et sermones contra Excelsum loquetur, & sanctos Altissimi conteret, & putabit, quod possit mutare tempora, & leges, & tradentur in manu eius vsq; ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Et iudicium sedebit, vt auferatur potentia, & conteratur, & dispereat vsq; in finem. regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est super omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi, cuius regnum sempiternum est*, &c. quibus verbis omnes continentur Antichristi conditiones. Nam & bellum cum sanctis geret, neq; cuiquàm hominum plus in eos aut permissum est, aut permittetur, quàm Antichristo. Nequè quisquàm hominum magis blasphemus, aut impius vllo vnquam tempore extitit. Et regnum eius, quod ad iudicium vsquè portendetur, regnum sanctorum sempiternũ excipiet. Quæ cum ita sint, cumque diuiso iam in plura regna, hoc est sublato Romano Imperio venturus sit Antichristus: non video qua is ratione in septẽ eius Imperij capitibus numeretur. Præstat igitur hoc capitis 13. vaticinium ita interpretari. Decem huius bestiæ cornibus decem illos Danielis reges significari. Septem capitibus septem tributarios reges, qui cùm profligatos tres illos viderint, Antichristi iugum excipient; qui inter se diuisi vno bestiæ corpore, hoc est vno Antichristi Imperio, coniunguntur. Cur autem in bestiæ capitibus numerandũ eum non censeam: duæ causæ sunt.

Altera

Altera quod cùm septem sint reges ij, qui reliqui sunt, tribus iis deletis, qui Imperium detrectabant, quot ex decem cornibus tribus euulsis apud Danielē superfuerunt: octauus esset Antichristus, si ad eos accederet: cū tamen hoc loco septem omnino bestiæ capita numerētur. Altera quod ea capita inter se diuisa cum bestiæ corpore coniunguntur: at is, quem ij Reges dominū venerabuntur, à nullo eorum disiungi potest, quamuis ij inter se regnis, fortasse etiam animis, differāt, qui quoniam Antichristi non modò iugum accipient, sed superstitionum etiam erunt æmuli: scripta dicitur in singulis esse blasphemia. Antichristus ipse propter dolos, ac fraudes corpore maculosus ac varius: & mira velocitate perficiens omnia, pardum imitatur; superbia, atque immanitate victos conculcans, ac proterens, Vrsi cuius ij mores sunt validissimos pedes refert. Rictus, atque os Leonis habet morsu, & rugitu terribile: rerum gestarum, ac famæ magnitudine subiectos continens, ne commouere se audeant. Libet hic ex Abbato quærere, quinā decem ij reges fuerint, qui Romanum Imperium occupabant, cùm commentitius eius Antichristus, quamuis etiam tum paruulus, ac si libet etiam lactens, primum existeret? Quosnam tres reges solio deturbarit, vt occupatis eorum Imperiis in hanc, quam habet, magnitudinem cresceret? quænam septem illa sint siue capita, siue reges, qui eius se tyrannidi sponte subiecerint? Certè Bonifacius, quē is cum plurimis aliis eiusdem dementiæ sectariis, primū inter Antichristos numerat, Foca Imperatore regendā Ecclesiam accepit: quo tempore, quamuis labefactatum aliqua ex parte, manebat tamen vel Abbati confessione Romanum Imperum. atque vsque ad translatio-

nem Imperij, ducentis ipsis annis post mansit. Neque verò multo post Bonifacium tempore Leone Isaurico eodem & Imperatore, & hæresiarcha, Iudæo quodam mago suasore extitit Iconoclastarum hæresis: quæ orientale Imperium distraxit à Romana Ecclesia. Neque ita multò post translatum in Francos occidentale Imperium, schisma Photius excitauit; quo ita orientem ab occidente diuisit: vt nunquam amplius integrè coaluerint. Iam eo ferè tempore Bonifacius Ecclesiam suscepit administrandam; quo extitit Turcarum Pseudopropheta Mahumetes; cuius superstitio tanta exiguo tempore cæpit incrementa; vt cùm Iconoclastæ debacchari in Ecclesiam cœperunt; bonam orientalium prouinciarum partem iam occuparet. quo verò tempore Carolus Occidentis Imperator creatus est, ex Africa in Hispaniam transgessi eius superstitionis æmuli Saraceni, ferè totam in potestatem redegerant. Quando igitur vnquam omnes ij qui Romani Imperij prouincias obtinebant, ab extincto Beato Gregorio ad nostra vsque tempora Romanæ Ecclesiæ addicti fuere? vt ad eos accommodari posse videatur, quod de decem iis regibus scriptum est: qui Apocalypsis 17. potestatem suam bestiæ tradidisse narrantur? Sed reliqua videamus:

2. *Quid significet miraculum capitis, cuius plaga mortis curata est.*

Et dedit illi (Bestia) inquit, S. Ioannes, *Draco virtutem suam, & potestatem magnam: & vidi vnum de capitibus suis, quasi occisum in mortem; & plaga mortis eius curata est; & admirata est vniuersa terra post bestiam. & adorauerunt Draconem, qui dedit potestatem bestiæ; & adorauerūt bestiam dicentes, quis similis bestiæ? & quis poterit pugnare cum ea?* Quibus verbis duplicem Antichristi potentiam notari existimo, alteram patrandorum miraculorum mendacium, vt & Dominus, & Apostolus 2. Thessal. 2. iam ante nos

te nos monuit: alteram temporalem ac regiam; quarũ altera virtutis, altera potestatis nomine exprimitur, quã vtranque à Dracone accepturus apertè commemoratur. Porrò caput illud quasi occisum, cuius plaga mortis curata attonitum rei miraculo orbem terrarum impulisse dicitur; vt bestiam, atque auctorem bestiæ Draconem adoraret: vnum esse ex iis prodigiis, quæ editurus est Antichristus, etiam Abbatus concedit. Sed in eo controuersia nobis cum illo est, quod nos scripturæ verba, ita vt scripta sunt, quia nihil absurdi continent, si ita intelligantur, explicari oportere existimamus; futurum, vt vnus ex iis, qui bestiæ capitibus designantur, siue Antichristus, si is in septem numerandus sit, siue alius ex eo numero aliquis, grauiter sauciatus, ac penè mortuus magicis Antichristi artibus prodigiosa quadã ratione conualescat; eaque ratione is magnam sibi diuinæ potestatis existimationem apud homines conciliet. At Abbatus non ad Dei verbum dogmata, sed ad sua dogmata verbum Dei exigere solitus, ancillari etiã hic diunas litteras blasphemiæ suæ cogit. Itaque quia nullum proferre potest fictitij Antichristi sui eiusmodi portentum: negat propriè intelligi oportere. Quid ita verò. *Quia*, inquit, cap. 11. sect. 22. *cum Antichristo non nisi tres annos & dimidium assignet* (Bellarminus) *festinato opus est, ne non sit miraculum hoc in totius penè mundi notitiam peruenturum* (vt scilicet propter hoc miraculum eum mundus penè totus admiretur, vt Bellarminus affirmat) Tamne igitur multo tempore opus est, vt res tanta in oculis, ac luce omnium gentium gesta peruulgetur? neque enim in occulto gesturus id est; cum quærat ipse in palam esse. At cuius non dicam regis, aut Tetrarchæ, sed paulò illustrioris Toparchæ, vel Satrapæ mors, aut etiã

morbus non exiguo temporis ſpatio orbem vniuerſum peruagatur? & miratur Abbatus ſi res tanta ab eo rege patrata, in quem omnium hominum ora conuerſa ſint, ad omnes gentes perferatur? Quærit verò etiam illud Abbatus à quo, vel cuius gladio plagam illam accepturus ſit. *neq; enim videbitur*, inquit, *ſua ſponte moriturus, aut ſua manu plagam ſibi mortis inditurus. quis autem in regē potentiſſimum, ſatanæ præſidiis omnibus munitum, tantum præualiturus eſt; vt plagam ei mortis infligat? vtrum aperto bello? an proditione futurum eſt? à ſuis? an ab alienis?* Quibus nugis ſatis oſtendit, quanta laboret ſolidarum inopia rationum. Nā ſi vulnerato eo capite, cuius plaga mortis ſanata eſt, vnus aliquis è regibus dedititiis denotatur: iſta omnis Abbati ratiocinatio corruit. Si Antichriſtum ipſum malis intelligi, qui vulneratus ipſe ſe curet, quid eſt incredibile, ſiue is in prælio pugnans vulnus accipiat? ſiue occultis alicuius inſidiis impetatur? Et quando te Satanas angit Abbate, cuius ille præſidiis munitus tibi vulnerari non videtur poſſe: obſecro te; tamne alienum à moribus Satanæ eſſe credis, quod non abhorret à tuis, vt non modò eorum conatus, qui id moliantur, non impediat: ſed eos ipſe inſtiget ad facinus, ipſe conſilia moderetur, ipſe promoueat, non ignarus, quid per eam occaſionem effecturus ſit? Atque his tu tam leuibus; tam ineptis rationibus diſcedendum tibi putas ab expreſſo Dei verbo? qui Patrum neque auctoritate moueris, neque iudicia vllo in pretio habes, neque interpretationes accipis; quia videlicet quod illi docent, ſummus omnium Ariſtarchus in ſcripturis non reperis.

Sed tu qua tandem ratione hunc locum interpretaris Abbate? *Romanus Pontifex*, inquit, cap. 10. ſect. 1. *hic*

hic apertißimè notatur; qui cum attritis Romanis viribus, & exturbato ex Italia Imperatore corruisse iam imperium, & iacere videret; plagam hanc letalem nouo Imperatore sufficiendo curauit; & veteris Imperij Maiestatem in occidente vtcunque renouauit. Quod idem cap. 11. sect. 22. repetit. *De Imperatorio statu*, inquit, *locus intelligendus est; qui quidem in Constantinopolitanis illis penè iam ceciderat, à Pontifice autem collata, satis pro Imperio, Imperij dignitate resuscitata.* Agnosco interpretationem Illyrici tum in libro contra primatum Papæ, in quo penè extremo quintam hanc notam Antichristi ponit: tum in centuriis cent. 8. cap. 10. quem suæ deinde huius tam acutæ interpretationis pœnituit, cum in libro de translatione Imperij negauit auctoritate Romani Pontificis à Græcis ad Francos imperium esse translatum. Sed ego ex Abbato quæro, qui probare possit, hac bestia Imperium Romanum significari? Nam quod septem capitibus septem summi Imperij formas notari existimat: puerile figmentũ esse, neq; cum historia consentiens, iam antè docuimus. Quod bestia hac purpurata meretrix cap. 17. vecta Ioanni ostenditur? at id quoque confutatum est supra: tum quia hæc à bestia capitis eius fortasse diuersa est; tum quia Imperium Romanum ea bestia nō adeo bene intelligi potest. Sed sit sanè bestia hæc Romanum Imperium. Cũ caput hoc, cuius plaga mortis curata est, ad seriem Imperatorum, atque, vt Abbati verbis vtar; ad sextum bestiæ caput spectet: Carolus accepto à Romano Pontifice Imperij iure, verè fuit Imperator. At factione? an iure? facto? qui potuit? cum nullam Romani Imperij prouinciam vix exiguas nescio quas Italiæ particulas, si tamen etiam eas, acceperit. Nam transalpinas prouincias aut obtinebat ipse priusquam Cæsar appellaretur; aut

quæ in aliorum erant ditione, eas non abstulit. Hispanias Saraceni magna ex parte occupabant; quod reliquū erat, regibus suis parebat; quos regno neque Carolus, neque Pontifex exturbauit. Italiæ exigua pars, quæ vsque ad ea tempora in potestate Græci Cæsaris fuerat, Carolo contigit. Iure igitur Carolus Imperator potius, quàm facto fuit; id quod Abbatus ipse concedit, cū ait, non tam Imperium, quàm Imperij dignitatem ad eū à Pontifice esse delatam. ius igitur, ac dignitatem Imperij dare Romanus Pontifex potuit. qua autem ratione verum Imperij ius dignitatemq; in eum conferret Romanus Pontifex, si nullo id iure sibi liceret? quo autem nisi diuino? nam ab hominibus quidem nunquam acceperat. aut ergo iure diuino Antichristus his Imperia dat, illis adimit: aut factum id Antichristi non fuit. Sin autem Carolus vel verè Cæsar non fuit; vel Imperij ius à Pontifice non accepit: non ergo sextum bestiæ caput iam penè mortuū vitæ reddidit; sed iam semimortuum excitato tyranno penitus extinxit Romanus Pontifex. Non potest igitur Beati Ioannis vaticinium ad facinus illud referri; in quod si ei alteram partem aptes, altera conuenire non possit. Siue enim verè Cæsar fuit Carolus; is qui imperium dare potuit, Antichristus non fuit: siue is Cæsar non fuit, hoc Antichristi miraculum Romanus Pontifex nōdum edidit, ac, si Abbato credimus, penitus iam deleto Romano Imperio, ne edere quidem potest.

Adde quod nusquam scriptura commemorat capiti illi penè iam mortuo à quoquam medicinam esse factam. Quibus igitur auctoribus comperit Abbatus, miraculum hoc à quoquam alio potius perpetratum esse, quàm ab ipsamet bestia; quæ caput ipsa suum mirabili

ratione

ratione curauerit, eoque facto omnium in se oculos conuerterit? Certè si cui ea curatio tribuenda sit, apertè ex eo loco colligitur ad Draconem, atque ad bestiam ipsam referendam esse. *Vidi*, inquit, *vnum ex capitibus suis quasi occisum in mortem; & plaga mortis eius curata est; & admirata est vniuersa terra post bestiam, & adorauerunt Draconem, qui dedit potestatem bestiæ; & adorauerũt bestiam dicentes, quis similis bestiæ? & quis poterit pugnare cum ea?* quorsum autem illa admiratio, atque adoratio bestiæ ac draconis? quorsum desperatio illa congrediendi cum illis? quia ne aliena quadam ope, atque externa vi bestia conualuisset? cur non eius potius consequuta est admiratio, timorque; cuius vel ope, vel arte occisum caput bestiæ reuixisset? Dracone autem Satanam significari Ioannes ipse cap. 12. disertè docuit: igitur caput illud, quicquid demum significet, aut à Dracone, aut ab ipsa bestia ereptum periculo est: neque potest ad alium eius curatio referri. Quanquam tu quidem niteris quantum potes, vt persuadeas à posteriore illa bestia, cuius deinde fit mentio, eius, de qua nunc loquimur, capiti medicinam esse factam. Sed quia ipse etiam vaticinij textus interpretationem tuam respuit: negas eã vaticinij partem, quæ de curatione capitis eius est suo loco positam esse: ac Prophetæ spiritu rei gerendæ seriẽ præuertẽte, ante huius rei narrationem subiecisse affirmas; quam quæ ab Imperio Romano nascens Ecclesia passura erat, attexerentur. *Neq; impedit*, inquis, *quod quæ mox ibi sequuntur, Carolo & successoribus eius videntur aptari non posse, quia per anticipationem vulneratio capitis narratur, quæ longè post futura esset; qua posita regreditur historia ad notandam bestiæ illius rationem, & modum, qualis ab initio futura esset. Huc ergo pertinent quæ sequuntur, & admirata est vniuersa terra post bestiam.* At, ita aliquando

sapias

ſapias Abbate, qua tandem ratione rem tantam probaturus es? tibi patrum conſentiens auctoritas, ac ſacroſanctum iudicium nihili eſt: tua nobis ſine vlla ratione affirmatio oraculi inſtar erit? vt quę ſcripta nõ ſunt, pro ſcriptis atq; expreſſis in verbo Dei habeamus: quæ vno loco ſcripta ſunt, ad aliũ pertinere exiſtimemus? quænã tua iſta eſt in ſacras litteras pluſquàm cenſoria poteſtas? vt ſuo loco, quæ viſũ fuerit, moueas atq; in eas partes ableges, vbi tibi negotium non faceſſant? Quãquam ita diuinitus comparatum eſt; vt quocunq; demum hanc huius vaticinij partem transferas; tibi tamen configat oculos. transfer enim in eum locum, qui tibi maximè opportunus toto eo capite videri poteſt: atque ita vaticiniũ texe; *& vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia agni; & loquebatur ſicut Draco; & poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius: Et vidi vnum de capitibus ſuis* (prioris beſtiæ) *quaſi occiſum in mortem, & plaga mortis eius curata eſt. Et* (poſterior beſtia) *fecit terram, & habitantes in ea adorare beſtiam primam, cuius curata eſt plaga mortis.* Poſſuntne ad rem tuam melius, aut aptius concinnari? at ex his verbis ita arbitratu tuo diſpoſitis qua ratione efficies, à poſteriore beſtia priorem eſſe curatam? cùm ne verbum quidem vllum additum ſit, quo id adumbratum videri poſſit. Adde quod, cùm non ſemel poſtea curationis eius meminerit, ita ſemper loquitur; vt ad poſteriorem beſtiam conſulto referre eam nolle videatur: cur enim cum ſcriberet, fecit terram adorare beſtiam primam, cuius curata eſt plaga mortis: non ſcripſit potius, cuius curauit plagam mortis? cum totidem planè ſyllabis, atque adeo litteris illuſtrare rem totam, atque eius miraculi auctorem prodere poſſet? Qua igitur confidentia id affirmas,

quod

quod non modò in ſacris litteris aut expreſſum, aut adumbratum non eſt; ſed diſertè propemodum ipſis vaticinij verbis confutatum?

3. *Antichriſtus priore ne an poſteriore cap 13. Beſtia ſignificetur.*

Et datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemias: & data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos: & aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen eius, & Tabernaculum eius, & eos qui in cælo habitant: & datum eſt illi bellum facere cum ſanctis, & vincere eos: & data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & adorauerunt eam omnes, qui habitāt terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ agni, qui occiſus eſt ab origine. Locus hic ad ea alludit, quæ Daniel. cap. 7. ſcripta ſunt de Antichriſto verſ. 8. *Cōſiderabā cornua, & ecce cornu aliud paruulū ortū eſt de medio eorū; & tria de cornibus primis euulſa ſunt à facie eius: & ecce oculi, quaſi oculi hominis erant in cornu iſto, & os loquens ingentia. verſ. 20. & de cornu alio quod ortum fuerat, ante quod ceciderant tria cornua, & de cornu illo quod habebat oculos, & os loquens grandia, & maius erat ceteris. Aſpiciebam, & Ecce cornu illud faciebat bellum aduerſus ſanctos, & praualebat eis; donec venit antiquus dierum;* & verſ. 24. *Porrò cornua decem ipſius regni, decem reges erunt; & alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit, & ſermones contra Excelſum loquetur, & ſanctos Altiſſimi conteret, & putabit quod poſſit mutare leges, & tradentur in manu eius vſq; ad tempus & tempora; & dimidium temporis.* Ita iiſdem penè verbis eadem de rege illo vndecimo, qui Romano Imperio in decem diuiſo reges ſurrecturus eſt, vaticinatur Daniel, quæ hic de beſtia ſcribit Beatus Ioannes, vt cœcus eſſe velit, qui nō videat de eodem eſſe ſermonem. Cùm autem locus hic Danielis apertiſſimè de Antichriſto ſit ſcriptus, hunc item Apocalypticum de eo ſcriptum eſſe neceſſe eſt.

Sed Abbatus Foxiano somnio delectatus, locũ hunc de Romanorum Principum antiquis persequutionibus interpretatur, quam interpretationem cap. 8. sect. 3. & 4. ita probare conatur. Calamitates eas, quas ab apertis, atque externis hostibus Ecclesia patitur, certo in scripturis annorum numero comprehendi, ac designari solere; non item eas, quas domestici, atque occulti hostes illaturi sint. Quare cum eæ calamitates, quæ hoc vaticinio portenduntur, certis temporum spatiis definiantur; ad apertos Ecclesiæ hostes pertinere oportere. Antichristum autem hostem esse tectum nomine Christiano. Quare ad veteres Ecclesiæ nascentis ærumnas hæc verba referenda videri. Assumptũ porrò ita probat. Duas in hoc capite bestias designari, alterã de mari, hoc est, de bellicorum tumultuum fluctibus; alteram de terra, hoc est, de otio, & quiete prodeuntem. *Quas*, inquit, *ita ibi legimus comparatas, vt prioris fracta iam & collapsæ posterior imaginem instauratura sit. Ceterum qui duas illas in vnam confundere tentauerit; imperitè fecerit; nec videre poterit satis attentè, rem vnam se ipsa priorem simul, & posteriorem, sibiq; originem simul, & imaginem esse non posse. Iam verò certum est, prout ante ostendimus, priori bestia Romanum Imperatorem Ethnicum, & infidelem, posteriore Antichristum demonstrari. qui quanquàm Imperium illud antiquũ non obtineret: sibi tamen imaginem quandam prioris Imperij fabricaturus est: cum verò de priori bestia, dictum sit, potestas ei data est agendi menses quadraginta duos; manifestum est, numerum illum temporis ad Imperatorem pertinere.* Ego verò cùm satis iam demonstrauerim, neque numerum illum dierum, ac mensium ad veterum Imperatorum persequutiones, neque superiores huius vaticinij partes, ad Romanum Imperium accommodari posse: satis

interpretationem hanc explosisse mihi videor, vt nihil præterea addere ad eius confutationem necesse sit. De quo enim adorationis cultusque genere interpretantur quod scriptum est? *Et adorauerunt eam* (bestiam) *omnes qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni.* De politicóne? at eum honorem debent temporalibus suis dominis etiam Christiani non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam Roman. 13. 5. Qui ergo fieri potest, vt ij vni ad librum vitæ pertinuisse scribantur, qui quod Dei ordinationi resisterent, etiam nullo alio admisso scelere de libro vitę delerētur? Quem autem è persequutoribus Ecclesiæ viuentem orbis terrarum diuinis honoribus coluit, vt saltem de ea eius insania hæc scripta videri possint? Reliquum igitur est; vt de aliquo alio vaticinatus sit Beatus Ioannes, quem diuinis honoribus genus humanum aliquando prosequuturum sit.

Et quādo arma nobis Abbatus ipse suppeditat, vtar eius beneficio. Sit igitur id, quod ipse animaduertisse se dicit è scripturis, nullæ vnquam domesticæ clades Ecclesiæ certo tempore definiantur (nam ego quidem neque magnoperè repugno, neque affirmarim facilè) Sed habeatur ea in re Abbato fides, vt suo se fune strangulet. Cùm Antichristi tempus certo tempore definiatur; externum eum hostem esse necesse est: non erit igitur Romanus Pontifex, qui & si hostis non est, cùm sit Pastor; tamen si hostis esset, Abbati etiam confessione externus hostis non esset. Certo autem in scripturis tēpore Antichristianam Ecclesiæ cladem definiri, ea, quæ ex Danielis 7. protulimus, satis declarant. Nam tempus quo vndecimum illud cornu accepta in sanctos potestate sæuiturum est, eo loco disertè describitur, tempus,

& tempora, & dimidium temporis. Porrò vndecimo illo cornu Antichristum significari apertè supra docuimus. Illud verò non satis video, qua ratione homo suorum acutissimus concludat. Quæ hoc Apocalypsis loco de priore bestia scribuntur, ad domesticos hostes referri non possunt: igitur ad veteres Imperatores referenda sunt. Quasi verò fieri non possit amplius, vt aut ad infideles Dominos rerum summa deuoluatur; aut si ij rerum potiantur, vt Ecclesiam persequantur. Cùm & illud fieri posse Turcarum imperium malo nostro nos doceat, & miraculi instar sit, quod quibus mala omnia cupiat; eorum sanguini superbus, & crudelis dominus tamdiu parcat. Sed nimirum veretur Abbatus ne, si à rege aliquo Christiani nominis inimico cladem aliquã Ecclesiæ hoc vaticinio portendi semel admiserit, eum nobis Antichristum negare non possit, quem à veteri Ecclesia traditum hæredes fidei eius credimus.

Sed assumptionis huius Abbatianæ probationem videamus. *Est*, inquit, *Antichristus hostis domesticus, quia è duabus his bestiis posterior Antichristi, prior Imperij Romani symbolum est, vt ante iam demonstratum est.* Credo in alio aliquo libro, quem nõdum edidit. nam in hoc quidem nunquam id probauit; ac ne probare quidem potuit. Nam posterior illa bestia, quæ de terra ascendere visa est habens cornua duo similia agni, magnum quendam prioris bestiæ apparitorem, atque vt Beati Irenæi verbis vtar, armigerum designat; Qui ideo duo cornua similia agni habere dicitur, quia verbo, ac prodigiis adducet homines, vt priorem adorent bestiam; quo armorum genere agnus, qui occisus est ab origine mundi, orbem terrarum subegit. Cuius etiam vox est sicut Draconis; quia voce, ac prædicatione venenum instillabit in animos auditorum. Id porrò ita

esse,

esse, tum ex Euangelio Matthæi 24. colligitur, vbi Dominus etiam in fine mũdi denunciat, surrecturos Pseudochristos, & Pseudoprophetas, qui dent signa magna, & prodigia; ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ex quo illud euidenter colligitur, non solum futurum Antichristum, qui Christi sibi munus & gloriam arroget: sed eius etiam nuncios, ac ministros, qui signis, ac prodigiis mendacibus homines in eum errorem inducant. Quare si nihil aliud suppeteret, nõ improbabiliter locum hunc ita interpretari possemus. Adde quod vt Beatus Irenæus animaduertit in extremo capite 19. S. Ioannes distinguit à bestia, bestiæ Pseudoprophetam, ac duos omnino esse docet. *Apprehensa est bestia*, inquit. *& cum ea Pseudopropheta, qui fecit signa coram ipsa, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & adorauerunt imaginem eius: viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis.* Antichristus autem nullius assecla, nullius sectator futurus est; sibi vni, ac gloriæ suæ studebit, atque alios in sui venerationem, cultumque compellet. Iam bestiam illam, cuius Pseudopropheta posterior hæc bestia dicitur, Romanum Imperium esse nõ posse, illud indicium est, quod Romanum Imperium ante delebitur, quàm veniat Antichristus, ac si Abbato credimus, iam deletum est. idem autem est vtriusque finis, idem exitus, eodem prælio victi capientur, ac mittentur in stagnum ignis ardentis. Quare aut posterior bestia Antichristus non est, aut prior bestia Imperium Romanum esse non potest. Adde quod non potest intelligi qua ratione Romanum Imperium, quod aut nullo modo, aut ad summum ficta quædam, ac politica persona est, viuum mitti possit in stagnum ignis. quod

ſatis apertum indicium eſt, beſtia illa certam quandam, ac determinatam perſonam indicari.

Denique ipſa capitis huius narratio apertè demonſtrat, poſteriorem hanc beſtiam prioris non niſi accenſum, atque apparitorem eſſe. *Poteſtatem*, inquit, *prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius; & fecit terram, & omnes habitantes in ea adorare beſtiam primam, cuius curata eſt plaga mortis.* Vides huc curas omnes, cogitationesque poſterioris eſſe conuerſas, vt prioris gloriam promoueat? nam quod cap. 10. ſect. prima ea verba ita interpretatur Abbatus, *Poſterior*, inquit, (Beſtia) *priorem potentia æquaſſe dicitur, faciens quicquid poterat prior beſtia etiam in conſpectu ipſius.* Quod igitur ita interpretatur: ridiculũ eſt. ipſa enim vaticinij ſeries apertè demõſtrat hoc loco ſermonem eſſe de poteſtate ſignorum prodigiorũq; edendorũ: non de potentia, atque opibus. Quare quod hoc loco dixit Ioannes: *Poteſtatẽ prioris beſtiæ omnẽ faciebat in conſpectu eius.* cap. 19. idem expreſſit iis verbis: *apprehenſa eſt beſtia, & cum ea Pſeudopropheta, qui fecit ſigna in conſpectu eius.* Imo hoc ipſo loco, de quo nunc agimus, eorum verborum explicationem ſtatim ipſe ſubiecit. Cùm enim dixiſſet, feciſſe poſteriorem beſtiam poteſtatem omnem prioris in conſpectu eius, atque induxiſſe homines, vt priorem beſtiam adorarent; continuò, *& fecit*, inquit, *ſigna magna, vt etiam ignem de cœlo faceret deſcendere.* Adde quod ἐξουσίας vocabulum, quo hoc loco Beatus Ioannes vtitur, vix vnquàm pro opibus, & potentia apud Græcos vſurpatur. Et verò quãdo vnquam Romanus Pontifex, quem iſti Antichriſtũ, atque poſteriore hac beſtia notatum putant, parem Romano Imperio temporalem poteſtatem obtinuit? qua ſæculari potentia, quibus militibus, quibus armis Imperium

perium transtulit ad Germanos? Aut quæ prioris bestiæ potentia in posteriore fuit? si neque illa spiritualem vnquam, neque hæc temporalem obtinuit? Non sciscitabor vbi toto hoc capite Spiritus sanctus hoc dixerit; illud sciscitor, quibus indiciis, quibus coniecturis, quæ speciem modò aliquam veritatis habeant, id suspicari potueris? *Ita hæ duæ bestiæ comparantur, vt posterior prioris fractæ iam & collapsæ imaginem instauratura sit?* imo verò ita, vt florentis ac felicissimæ imaginē faciendam curatura sit; quo ea maiore in veneratione apud omnes habeatur. Prius enim fecisse scribitur, vt priorem ipsam bestiam, terra atque habitantes in ea venerentur; quo nihil potest esse florentius: deinde vt eius etiam imaginē adorarent. Quare quod cap. 10. sect. 1. scribis his verbis: *Pertæsa* (Posterior bestia) *bestiæ prioris, & volēs magnificentiam eius alio transferre; imaginem eius effingendam curauit*: tuum, qui teterrimo plenus spiritu vaticinari, ac furere solitus es, non Beati Ioannis vaticinium est. Qua enim ratione consequens est, si posterior prioris bestiæ effigiem effictura, atque propositura est omnibus gentibus adorandam; id eius tædio esse facturam? An tu tā es non modò omnis eruditionis expers; verum etiam vitæ communis ignarus: vt si minus legeris veterū Imperatorum effigies olim in præcipuis Imperij vrbibus collocari, iisque honorem haberi consueuisse: at fando quidem certè audieris, eum morem iam inde ab antiquissimis temporibus tenuisse; vt magnis, ac præstantibus viris statuæ ponantur honoris causa? At si hæc ignorabas, tantusne te etiam stupor oppresserat; vt ne ea quidem intelligeres, quæ disertè à Beato Ioanne mandata litteris, lectorem modò requirebant. Age enim (quando, quia tria verba græcula vtcunque garrire didicisti;

cisti; græcus tibi esse videris) cùm dixit sacri vaticinij scriptor persuasisse posteriorem hanc bestiam habitantibus super terram ποιεῖν εἰκόνα τῷ θηρίῳ; quid aliud cogitare potuisti cum sibi iis verbis voluisse; quam vt honoris causa bestiæ statuam ponerent? quid est enim aliud alicui statuam, vel imaginem facere? sed tu vel abusus Latinorum in vocabulo bestię casuum ambiguitate, qua fit vt dignosci non possit dandine casu, an gignendi nomen positum sit, apertissimum scripturę sensum peruertere conatus es; vel stupore, ac debilitate animi non vidisti, quod neminem latere poterat, qui modò græcè nosset legere.

Illud verò ad rem tuam, aptissimè maximeque accommodatè subiecisti; *Qui duas has bestias in vnam confundere tentauerit; eum imperitè facturum: cum non intelligat rem vnam se ipsa priorem sibiq; originem simul, & imaginem esse nõ posse.* Quibus verbis, vt es acutus, & perspicax, in duplicem te laqueum induisti. Alterum quod capite vndecimo sect. 22. posteriorem hanc bestiam ita cum priore confundis; vt esse eam velis è capitibus eius septimum. Quare nisi caput auferas bestiæ, truncumque relinquas; non potes posteriorem hanc bestiam à priore seiungere. Et verò qua ratione negare id possis? qui plus millies docueris bestiam septicipitem Romanum Imperium esse, cuius septimum caput sit Antichristus? quē tamen posteriore hac bestia designari existimas. Quidquid igitur moliaris, quo te cunque vertas, non potes effugere, quin concedas, posteriorem bestiam ad priorem, quippe cum vnum sit ex eius capitibus, pertinere. Neque verò cum negas in vnam duas hasce bestias confundi oportere; id agis vt duas quasdam bestias B. Ioanni obiectas esse non dubitemus: neque si tu id non diceres;

res;

res; ideò dubitari posset de re tam luculenter expressa: sed id tibi cōsilij est, vt persuadeas posteriore bestia aliquid significari, quod expressum priore non fuerit: at Antichristus cùm, te auctore, vnum sit è septem bestiæ capitibus, obiectu eius satis demonstratus est. Negabis opinor satis significari persequutiones, ac rabiem eius in Ecclesiam eo portento potuisse. Sed quid impediuit, quominus quæ acta narrantur à posteriore bestia, ea septimo eiusdem bestiæ capiti tribuerentur? Certè si ista esset loci huius interpretatio; multo melius allegoriæ huius series sibi constaret; si ea de septimo primæ bestiæ capite scripta essent, quæ de bestia posteriore narrata sunt. Nunc autē vt amphitruonæus ille Sosias, congeminat, & secū ipse pugnat & sibi irascitur, ociosus idē, idē actuosissim⁹ Antichristus. Terrenus hic Antichristus (Nā alter ille, qui in prioris monstri capitibus septimus est, vna cū bestia ipsa emersit è mari) & grauiter sauciato capiti medetur, & signa facit in conspectu bestiæ, & parem cum ea potentiam obtinet; eamq́ue pertæsus aliquando, nescio quod eius simulacrum molitus, eo magnificentiam eius transfert, & vendentes, atque ementes omnes ad gestandum bestiæ characterem compellit. Stertit interim ille alter Antichristus, qui est domi; neq; quicquam proximi sibi capitis calamitate, ac vulnere commouetur: nihil agit, nihil molitur, nihil cogitat, quo vel terrenum illum se ipsum in totam bestiam sæuientem per marino sibi placeet: vel sexti gloriam capitis sibi retineat. Et has tu mihi tam inanes, tam commētitias fabulas pro Dei verbo obtrudis? neque vereris maiestatem scripturarum ad anicularum deliramenta deducere? Quid aliud Ethnici fingerent, vt pondus earum auctoritatis apud multitudinem eleuarent? Altera

verò illa tua acutula ratio, qua concludis. Si quis priorem cum posteriore bestia confundat, cum non intelligere rem vnam se ipsa priorem, ac posteriorem, sibique originem simul, & imaginem esse non posse: præter vnum te neminem potest lædere. Nam nostra quidem interpretatio longissimè abest ab istis ineptiis, vt ad eā rationem hanc non magis aptare possis; quàm saxa mādere. Qui enim priore bestia Antichristum, posteriore accēsum eius intelligimus; qui pellaci oratione, prodigiisque mendacibus ita homines ad cultum, ac venerationem Antichristi incitaturus sit; vt in errorem inducat, si fieri potest, etiam electos, ac paucissimi relinquantur, qui in fide, ac dilectione permaneant: Neque eo contentus illud etiam persuasurus sit hominibus; vt Antichristi simulacrum diuinis honoribus consecrent; quoque eam superstitionem alacrius obeant, ita magicis artibus miseræ multitudinis sensibus illusurus est; vt respondente in eo Satana, viuere, ac loqui simulacrū existimet. Qui igitur hunc locum ita interpretamur, quid nobis ab istis tuis imaginibus, originibusque timeamus? At tu, cui Antichristus vnum est è septem capitibus, neq; tamen diuersus aut à posteriore bestia, aut ab imagine bestiæ: vt te è tuis istis plagis extricare possis, considera. Aut enim nihil ista ratiocinatiuncula concludes; aut te ipse confodies. Quam enim imaginem cōfundi negas oportere cum priore bestia? eam ne, quam posterior bestia faciendam, atque adorandam curabit? se ipsa igitur prior, ac posterior erit posterior bestia; quæ quia imaginis eius origo, atque auctor est, imagine prior esse necessariò debet; quia verò ab imagine non distinguitur, si prior est, se ipsa vtique prior est. Quod si posterior illa bestia, ita imaginem efficere posse tibi videtur;

detur; vt postea in eam se se penitus induat, neque quicquam discriminis deinde relinquatur inter effectum, & causam : cur idem dici de bestia priore non poterit?

Et quando huc ipsa nos disputatio prouexit; libet antequam locum hunc claudam, sciscitari ex Abbato, quid tandem ista imagine existimet à Spiritu sancto denotari voluisse? Antichristi potestatem, inquit, sit ita sanè, quando tibi tanto scripturarum interpreti ita videtur. Sed quam? quámnam Antichristi potestatem significari opinaris? eam ne, quam sect. 2. cap. vndecimi spirituale imperium Pontificis vocas, ac fusè prosequeris? at potestatem istam, vel confitente te iam tum obtinebat Romanus Pontifex; cùm de translatione Imperij cogitauit. *Repetendum est*, inquis, *quod supra vidimus, duas apud Ioannẽ bestias describi, quarum altera imaginem alterius ad viuum exprimit* (falso id quidem, nam hoc apud Ioannem nunquam inuenies) pergis. *posterior priorem potentia aquasse dicitur, faciens quicquid poterat prior bestia etiam in conspectu ipsius; & quidem tanta potentia fuisse describitur, vt priorem bestiam vulnere latali penè mortuã sanarit, & statum eius collapsum reparartit.* Obtinebat tũ, cum Pipino Francorum regnum attribuit; obtinebat tum, cùm Leonem Isauricum propter hæresim vectigalibus primum Italiæ, deinde etiam possessione spoliauit. Qua igitur ratione tu ipse coactus ipsa vaticinij serie scribis imaginem hanc post translatum Imperium, & curatam plagam prioris bestiæ effictã fuisse? sic enim post ea verba, quæ modò retulimus, proximè subdis. *Postea verò pertæsa, vt videtur, bestiæ prioris, & volens magnificentiam eius alio transferre, imaginem eius effingendam curauit, eique spiritum inflauit*, &c. Nimirum ne sibi quidem

dem ipsum mendacium facilè constat. Addis tu quidē, vt responsionem tuam fulcias, nescio quid aliud, sed insulsum, ac frigidum more tuo. *Molestè ferens*, inquis sect. eadem, *Imperatori parere, quem ipse fecerat, excussit iugum subiectionis, & Imperatorem Romanū vrbe Roma exulare iubens, simulacrum quoddam Imperij in se, ac suis ibidem erexit: & tumultu, ac tyrannide perfecit; vt Roma iterum Ecclesiæ nomine omnibus imperaret.* At nisi te tuæ istæ intemperiæ humanis planè sensibus spoliarunt, ista somniare qui potes? age enim, Roma expulso, vt tu mentiris, atque exulare iusso Imperatore spiritualisnè, an temporalis Imperij caput effecta est? Nam spiritualis quidem caput, ac sedes tunc esse cœpit, cùm primum spiritualem potestatem Pontifex Romanus obtinuit; quod longè ante translatum Imperium factum esse, vel confessione tua paulo suprà docuimus. Et verò aliquot etiam sæculis ante, quàm Bonifacius Gregorio Magno succederet, sanctus Leo sermone primo de Natali Apostolorum hunc Ecclesiæ principatum Romæ concedit, eiusque originem ab Apostolis repetit. *Isti sunt*, inquit, (Petrus, & Paulus) *qui te* (Roma) *ad hanc gloriam prouexerunt; vt gens sancta, populus electus, ciuitas sacerdotalis, & regia per sacram Beati Petri sedem caput orbis effecta; latius præsideres religione diuina, quam dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victoriis ius Imperij tui terra, mariq; protuleris: minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit; quàm quod pax Christiana subiecit.* Temporalis autem Imperij caput Roma si vsq; ad ea tempora fuisset; tunc esse potius desiisset, cum ab Imperatoris ad Pontificis iura translata est. Quando enim vnquàm Romanum Pontificem aut timuit, aut veneratus est orbis terrarum, quod vrbs Roma, ac nonnulli alij Italiæ populi eius ditioni parerent?

quan-

quanquam iam inde ab Imperio Constantini Imperij sedes Roma vix vnquam fuit;neque alia ratione Romani Imperatores dicti deinde sunt, quàm quod populi Romani iure regnarent. Quo iure, postquàm in Pontificis potestatem vrbs venit, non magis exciderunt Romani Imperatores, quam vrbe ab Alarico capta Honorius Theodosiusque exciderint. At enim honores Imperatori deferri solitos sibi deinde Pontifex depoposcit, huc enim capitis 11. sectione 21. neque rarò aliis in locis reuocas imaginem illam prioris bestiæ, quam colendam, venerandamque posterior illa proposuit. Sed frigidum hoc tuum effugium, ipsa confutat ratio temporum. Nam ante translatum Imperium, in eadem, qua nunc est, veneratione fuisse apud Christianos Romanum Pontificem, satis testantur centuriatores tui, quorum ea sunt verba centuria 8. cap. 10. col. 724. Pipinus, & Carolus filius eius in terram prostrati pedes eius (Stephani Papæ) osculati sunt; & Stapedes eius apprehenderunt, & frænum equi illius tenentes stratoris officia ei præstiterunt: igitur aut imago bestiæ multò ante efficta, & culta est, quàm medicina saucio capiti quæreretur, quod ne tu quidem affirmare audes, adeò perspicua est vaticinij series: aut imago bestiæ non ista est, quam tu tibi per insaniam fingis. Quid autem est quod tantopere vos conturbat, si quæ Spiritus sanctus tanto ante tempore Isaiæ 49. de Ecclesia cecinit, ea nunc videtis impleta. *Leuabo*, inquit, *ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum, & afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt, & erunt Reges nutricij tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent, & scies, quia ego Dominus super quo non confundentur, qui expectant*

 eum.

eum. Sed lucem, quam non possunt aspicere, lippi oculi auersantur; ac perstringit inuidorum animos splendor alienus. Cruciat vos Ecclesiæ dignitas, & amplitudo, & Christum, in quem, quia eius causa minimis eius defertur, honor hic, veneratioque redundat, coli nõ fertis. Abdicata Christi gloria gloriam hominum quæritis; & ceruicibus Ecclesiæ humanæ potestatis iugum imponitis; quæque non modò sæcularia, verùm etiam Angelos iudicatura est: eam sæcularibus tribunalibus sistitis. Antichristum vocatis, si quis eius iura, ac dignitatem tueatur. Hæc dum agitis, dumque ita delectat vos improperium crucis Christi: vt gloria resurrectionis eius offendat: quorum tandem operibus consentitis? quorum vos filios proditis? quo spiritu agimini? eo ne qui dicit anathema Iesu? an eo, qui dicit; qui non diligit Dominum Iesum anathema sit?

4. *De Miraculis Antichristi.*

Et fecit signa magna, ita vt etiam ignem faceret de cælo descendere in terram in conspectu hominum. Ex hoc loco argumentum contra aduersarios petimus, in quo dissoluendo mirandum in modum laborant. Sed gordianus hic nodus est; qui nisi præcidatur solui non potest. Si enim Antichristi, quæ hic memorantur miracula, Romanus Pontifex non edidit; Antichristus profectò esse non potest. Cùm autem in Antichristi miraculis ea etiam numeramus, quæ posteriori bestiæ tribuit sacri vaticinij scriptor: non ita dicimus, quasi posteriorem hanc bestiam cum priore, apparitorem Antichristi cum Antichristo ipso confundamus. Sed quia neque aliam potestatem posterioris bestiæ, quàm qua prior erat prædita, Beatus Ioannes agnoscit; *Potestatem*, inquit, *prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu eius*; vt quæ à posteriore bestia facta scribuntur, eadem factura prior

quoque

quoque bestia satis intelligatur. Et quemadmodum, quæ Apostoli ad confirmandum Euangelium in Christi nomine perpetrarunt, ea Christi miracula esse dicimus: ita quæ hic eius accensus ad confirmandam Antichristi superstitionem, & gloriam promouendam facturus est, Antichristi miracula dici possunt. Quanquam si Abbati interpretationẽ spectemus, quia posterior bestia Antichristum illi significat: hæc ipsemet Antichristus, non quisquam alius eius nomine editurus est miracula. Sed vtcunque interpretari maluerit; nisi ostendat quandó Romanus Pontifex ignem publicitus deuocauit è cœlo, quando imagini spiritum vitamque dederit, quando eam proposuerit adorandam: nunquam ostendet Antichristum eum esse. Hoc ille nodo cum strangulari se cerneret; longissimam ea de re disputationem instituit cap. 11. à sect. 16. ad 25. vsq;. Ac primũ per calumniam eleuare miraculorum fidem nititur: quæ quotidie in Ecclesia Catholica per seruos suos, tum viuentes, tũ mortuos Dominus operatur, eaque vel ad fraudem, ac dolos hominum; vel ad ipsum mẽdacij patrem Diabolum reuocare. Vetus hoc aduersariorum Christi effugium est, cum eius se miraculis opprimi cernerẽt; quod ad eorum hęredes transire cum impietate debuit, vt impleretur quod scriptum est. Si Patrem familias Beelzebub vocauerunt; quanto magis domesticos eius? Certè Dominus cùm ascensurus esset ad Patrem, hoc Ecclesiæ suæ pollicitus est (nisi fortè etiam Marcus, vt nobis faueret, fidem prodidit) signa eos qui crediderint sequutura, neque eam promissionem vllis aut temporũ, aut locorũ spatiis clausit. non solis Apostolis, nõ Apostolicis temporibus hoc tribuit, qui ita pronunciauit, *Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo Dæmonia*

monia eiicient. esse igitur in Ecclesia verè, fideliterque credentium debet vera miraculorum gloria; quæ & si non per quemlibet fidelium Dominus operatur, sicut ne Apostolicis quidem temporibus: Ecclesiæ tamen communis est gloria: quia totius corporis ea actio est, quæ per membrum quodcunque corporis exercetur; atque ita credentium omnium ea miracula sunt; quæ edita per membra communi spiritu animata, communem omnium adstruunt fidem. Ostendat igitur nobis Abbatus qua alia in Eccesia miracula fiant: apud quos hæc Domini promissio perseueret: qui cautionem hanc Christi Domini oraculo confirmatam apud se teneant: ac tum demum nostrorum miraculorum fidem in dubium reuocet. Nam si apud nos vnos miracula fiunt; qui de iis dubitat, de fide Euangelij dubitat. Quanquam id quidem Caluinianis neq; nouũ neq; insolens est. quib. fides nõ ex auditu, sed ex arbitrio est. Ex quo apertissimè patet, quam non modò parum fideliter, verum etiam stultè hunc ipsum locum tractans in præfatione institutionis suæ Caluinus; nobis obiiciat Augustinum 2. de vnitate Ecclesiæ cap. 16. à quo, ne Magistro suo aut ineptia, aut impietate concederet, imposturam hanc mutuatus est Abbatus, qui eo etiam turpius ea in re peccauit: quod cùm verba ipsa Augustini proferret, ne facessferent negotium, quædam omisit. Cùm enim Donatistæ nescio quæ mirabilia suę communionis hominum protulissent; quibus probarent veram Ecclesiam à se stare; neque facilè posset Beatus Augustinus illam vel Dæmonum, vel hominum imposturam reuincere: contra iis ipse quoque obiicit miracula, quæ passim fiunt in Ecclesia Catholica. Et cum vtrinque mirabilia quædam afferrentur: negat iis aut posse aut debere quæstionem decidi.

decidi. Quare cùm ea dixisset, quæ pro se citat Abbatus, quibus ostenderet fieri posse, vt nonnulla mirabilia etiam apud impios, atque infideles vel fraude Dæmonum, vel alia ratione contingant; ea etiam subdit, quæ, nisi oculos sibi ipse vellet effodere, proferre Abbatus non poterat. *Vtrum isti* (Donatistæ,) inquit, *Ecclesiam teneant: non nisi de diuinarum scripturarum canonicis libris ostēdant. Quia nec nos proterea dicimus nobis credi oportere, quod in Ecclesia Christi sumus; quia ipsam, quam tenemus commendauit Mileuitanus Optatus, vel Mediolanensis Ambrosius, vel alij innumerabiles nostræ communionis Episcopi; aut quia nostrorum collegarum conciliis ipsa prædicata est; aut quia per totum orbem in locis sanctis, quæ frequentat nostra communio, tanta mirabilia vel exauditionum, vel sanitatum fiunt; ita vt latentia per tot annos corpora martyrum, quod possunt à multis interrogantes audire, Ambrosio fuerint reuelata, & ad ipsa corpora cæcus multorum annorum ciuitati Mediolanēsi notissimus, oculos, lumenq́ue receperit: aut quia ille somnium vidit, & ille spiritu assumptus audiuit, siue ne intraret in partem Donati, siue vt recederet à parte Donati. Quæcunq́ue talia in Catholica fiunt; ideò sunt approbanda, quia in Catholica fiunt: non ideò illa approbatur Catholica, quia hæc in ea fiunt.* Quo loco non vrgebo sanctorum locorum religionem, venerationem reliquiarum, miracula martyrum diuinis reuelationibus, veteris Ecclesiæ vsurpatione, approbatione, fide, Augustini testimonio confirmata. Illud ago, vt omnes intelligant; quàm alienus à vestra insania sit Beatus Augustinus, ex quo vbi trunca quædam, & mutila protulistis: tanti viri nomine ad illudendū simplicitati multitudinis abutimini. Ille quidem certè & multa, & magna miracula fieri in locis sanctis, atque ad reliquias martyrum testis est, eaque vel eo nomine ap-

probanda censet, quod in Ecclesia Catholica fiunt & Donatistarum opponit præstigiis. Sed quia, vt iam antè dixi, cum vtrinque miracula proferrentur, neque facilè esset dignoscere, vtra tandem vera, vtra in speciem tantum miracula censenda essent: aliam iniit rationem pugnandi cum iis; qui hoc armorum genere pares fortasse videri poterant.

Postulas deinde, Nazarenorum more, ea apud vos etiam fieri, quæ facta audistis apud eas gentes, quibus nunc primùm Euangelij lumen infertur. Sed quorum par non est causa, ne conditio quidem par esse debet. Illi non tam consilio, ac voluntate sua, quàm rerum diuinarum ignoratione versantur in tenebris: vestra vos incredulitas, atque malitia excæcauit: neque vos, qui spontè compressis oculis dilexistis magis tenebras, quã lucem, emollirent miracula, sed obdurarent. Quare id incredulitas vestra suppeditat nobis ad respondendum, quod Euangelistæ scribunt, propter incredulitatem ciuium suorum signa, ac virtutes dominum facere apud eos non potuisse; cùm tamen alibi virtus de illo exiret, & sanaret omnes. Neque tamen reliquit se ipsum sine testimonio, qui quamuis generationi isti peruersæ, atque adulteræ, vt olim Iudæis signa quærentibus denegarit: non negauit tamen signum Ionæ Prophetæ. Quotidie conuenitis in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Initis consilia, vt mittatis lignum in panem eius, & eradatis eum de terra viuentiũ, & nomen eius non memoretur apud vos amplius: mẽbra eius exiliis, carceribus, vinculis, bonorum proscriptione conficitis, verberibus conscinditis, equuleis distenditis, nouis cruciatuum formis, quas odio religionis, & nocendi cupiditate stimulata crudelitas subinde excogi-

excogitat, laniatis. Denique sancti martyres propter ipsum mortificantur tota die, æstimati sunt sicut oues occisionis. Quæ vrbs, quod oppidum, quis vicus, quis pagus in Anglia nostro Catholicorum sanguine non redundat? & cùm quotidie in membris suis proscribatur, addicatur,lanietur, occidatur Christus à vobis; semper tamen viuacior surgit è funere, atque irrigata suo sanguine Ecclesia reuirescit. Vetus hoc est Christianorum elogium; cadere singulos, vt multiplicati resurgant. neque minui persequutionibus Ecclesiam; sed augeri; Nos morimur; sed vos nostra morte deficitis. Vestræ superstitionis est damnum, quicquid Ecclesiæ demitis. purgatur palmes, vt fructus plus afferat. nullis sulcis Euangelium melius creditur, quàm quos in sanctorum carnibus persequutorum immanitas exarauit. Vocalis est sanguis martyrum, qui è terra clamans exauditur in cœlo: & plerunque quos flectere Euangelij verbum nō potuit; prædicatio sanguinis emolliuit. Cedite aliquando Deo: credite diuinis oraculis, impossibile est teneri Christum ab Inferis, aut sanctum Dei videre corruptionem. Cur fremitis? cur inania meditamini? Adeò inuictus est martyrum sanguis; vt non modò in honorem conuertat triumphi etiam instrumenta supplicij: sed eligente Deo, quæ infirma sunt mundi, vt fortia quæque confundat, attactis etiam paleis, quasi validissimis arietibus Satanæ munitiones expugnet. Quantum vobis? quantum vestris magistratibus? quantum regio consilio admirationis attulit? quantum terroris incussit? quos tota Anglia motus excitauit animorum Garnetiana illa palea, in qua cœlesti artificio sanctissimi, ac fortissimi viri sanguis expressit effigiem? vt in sanguine suo viuens iustus mortuus, viuos impios condemnaret; do-

ceretque piorum hominum non animos modò, sed ipsam etiam mortem fide animatam viuere, & caritate vegetari. Itaque vir egregius, qui admirabili patientiæ ac pietatis exemplo multò plus Angliæ moriens profuit, quàm viginti ipsos annos maximo popularium suorum bono in summis laboribus Euangelij causa latitãs profuerat: multò magis, quàm vnquàm antea muros Iericuntinos palea concutit; & clamore Beati sanguinis labefactat. Et miracula à nobis requiritis, qui hæc tanta, tam testata, tam certa tenetis manibus, neque creditis? Sed vide quàm tibi ipse non constes, si hæc apud nos mirabilia fiunt, quæ quia negare non potes facta, auctorem eorum Satanam esse calumniaris: cur ea in Anglia quoq;, ac vobis inspectantibus fieri postulas? multúmne interesse existimas hoc, an illo loco aliquid fiat; dum factum sine controuersia constet? aut miracula Christi Domini minoris ducis, quia in Iudæa, non in Anglia edita sunt? An verò difficile futurum existimas siue Deo, siue Satanæ, eorum similia in Anglia atque Brittania facere, quæ aliis in locis ediderit? verebitur scilicet os istud importunum, & ferreum, quisquis ille est auctor miraculorum: vt exercere vires suas te præsente non audeat. Quod si miraculis fidem abrogas, neque te constans omnium hominum sermo, ac testificatio mouet (cui enim hominum Angelorúmue fidem habeas; qui Deo negaueris?) vbi igitur illa Antichristi prodigia, quæ constanter in scripturis omnibus prædicata, cùm negare non posses, centuriatores sequutus, ad ea, quæ fiunt in Ecclesia Catholica reuocasti? Vtrum igitur mauis? téne stultè postulare, vt apud vos edantur miracula; an Antichristum carere signis atq; prodigiis? Sed neque illud ab ista vecordia, ac moribus alienum

est,

est, cum vestra omnis sapientia tempori maximè seruiat; neque cùm opportunũ fuerit, hoc magnoperè moraberis.

Accedis deinde propius sect. 20. ad ea signa, quæ hoc loco commemorantur ab Antichristo facienda. Atque vt tibi more vestro ad allegoriam reuocare omnia liceat; notas ex Hieronymo (quē tu scilicet tāti facis; vt tibi in hoc Antichristi negotio velut euulsis oculis cæcutire videatur) Apocalypsim tot habere Sacramēta, quot verba, ac totam esse spiritualiter intelligendam. Infelix etiámne cùm cap. 17. septem montes commemorantur, in quibus meretrix sedeat? etiámne cùm meretrix illa dicitur esse ciuitas magna, quæ habet regnum super reges terræ? etiámne cùm à decem illis regibus futurum prædicitur excidium Babylonis? quæ tu tanta verborũ pompa pro tua causa protulisti. Quod si hæc Hieronymo ipso interprete, teque in primis assentiente, propriè accipienda sunt; quid est, quod insanias, vt quod ille hyperbolicè scripsit in primis propter Chiliastarum errorem; hoc tu tam pressè accipiendum contendas; vt tibi oculos eruas? quod si multa sunt allegoricè, nonnulla etiam propriè intelligenda: qui tandem nosti, quæ hoc loco scribuntur; ea propriè accipi non oportere? *Quia eodem modo*, inquis, *asserere poteris, nō pluiturum tempore Antichristi: quia Enoch, & Elias, vt tu vis, claudent cælum, ne pluat in diebus prophetiæ ipsorum. Et Enochum, & Eliam esse negaueris, vbi venerint, quia ignes de ore non expuunt, nec aquas in sanguinem conuertunt; quia illos hæc facturos scriptum est, quæ si sunt absurda, vt sunt: disce spirituale aliquid esse ignem illum Antichristi.* Non miror Caluiniano homini absurda videri ea, quæ alias iam facta scriptura diuina commemorat. mirarer si quicquam esset in

facris oraculis, quod palato illi faperet. Age homo perdite, qui non modò factis, quod omnium tui fimilium eft, fed verbis etiam noffe te Deum negas. inficiarinè potes, fcriptum effe in facra Regum hiftoria, idque deinde ipfius Chrifti oraculo primùm in Euangeliis, tum Apoftolicis Epiftolis confirmatum, effectum effe, Eliæ precibus, quo tempore is cum hominibus verfabatur; vt tribus annis, ac fex menfibus ne plueret? Quid illud? negabis ne iifdem litteris proditum effe, Quinquagenarios illos Eliæ Imperio igne de cœlo de lapfo cum fuis militibus effe cōfumptos? aut verò ignem ex ore vibrare commodè dici non poffe videtur is, cuius Imperio depluat? Quid? nonne Moyfes ipfe mandauit litteris, aquas à fe conuerfas in fanguinem, cùm miffionem populi, quam impetrare non poterat, ab impio rege calamitatibus extorqueret? Aut igitur mentitur fcriptura, quod te pro tua in Deum fide velle non dubito, aut fi hæc aliâs facta funt; neque abfurda, neque incredibilia funt: Nifi fortè abbreuiata eft manus Domini, ac poteftas eius exhaufta: vt quod femel fecit, repetere nequaquàm poffit. Sin autem id patrare fe velle conteftatur Spiritus fanctus, quod quia alias præftitit, & præftare poteft; neque præftari abfurdum eft: Quid hæc quafi noua, inaudita, abfurda, puerilia nobis obiicis? ac fidei noftræ fimplicitatem derides; quod verba Dei qua par eft veneratione fufcipimus, ignem intelligentes, quem is ignem vocat, & aquas, aquas, & fanguinem fanguinē? Sed vos quorum fua cuique libido Chriftus, atq; Euangelium eft; quo liberius in quancunque partem animo veftro collibitum fuerit fcripturas trahere liceat, in earum interpretatione, allegorias adamaftis.

Seduxit

Seduxit habitantes in terra propter signa, quæ data sunt ei facere in conspectu bestiæ; dicens habitantibus in terra, vt faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit. & datum est illi, vt daret spiritum vitæ imagini bestiæ, & vt loquatur imago bestiæ, & faciat, vt quicunque non adorauerint imaginem Bestiæ, occidantur. 5. *Vtrum imago Bestiæ reuera loquutura sit.*

Quid imagine Bestiæ intelligat Abbatus, supra cùm de superiore bestia disputaremus, attulimus; apertissimeque docuimus deliramenta ea esse hominis minimè sobrij; non vaticinia Beati Ioannis. quo etiam loco interpretationem nostram, postulante id ipsa disputatione, satis indicauimus; vt repetere non sit opus. Vnum illud est reliquum; vt vnicam Abbati, eamque ridiculam obiectiunculam diluamus. *Secundum miraculum,* inquit, sect. 21. *à Bellarmino commemoratur, quod faciet, vt imago bestiæ loquatur. Quod ille de statua, siue simulacro aliquo intelligit, cui vim loquendi Antichristus daturus est. Oblitus imperaturum Antichristum; vt adorent homines imaginem hanc, cum ipse defendat Antichristum Idolorum adorationem omnem prohibiturum, nec passurum, vt vlli siue simulacro, siue numini cultus religionis deferatur; præter quam sibi.* Quo loco dum obliuionis accusas alium; insaniam tuam prodis Abbate. Quid enim? videtúrne tibi necessariò consequi, si quis quenquam alium coli præter se vetet; cum ne suam quidem imaginem coli passurum? an ignoras honorem eum, qui simulacro defertur, in prototypum redundare? An cum Nabuchodonosor apud Danielem statuam suam diuinis honoribus coli voluit; aliquid sibi venerationis detrahi, non religiosius coli se ea superstitione existimauit? Aut verò, cùm Laureata sua prisci Imperatores mitterent; atque imagines in præcipuis Imperij vrbibus honorari præciperent;

rent; minuebant, ac non augebant potius maiestatem suam? Nullius ille quidem Dei cultum in Imperio suo passurus est, qui vnum se instar numinis haberi velit; ob eamque rem eam omnem idololatriam exterminabit; quæ ad alterius numinis venerationem referatur: at se in suis imaginibus coli, nisi suum sibi honorem inuidere dicatur, non modò non grauatè feret; sed etiam gratanter accipiet. Atque equidem existimo, nondum parto Imperio, dum Iudæis probare se, atque eorum opera occupare tyrannidem studebit: omnis idololatriæ odium simulaturum esse: mox vbi rerum potitus, tum rerum gestarum, tum fortunæ magnitudine præstrinxerit oculos hominum: tum demum, vt olim Alexandrũ, diuinos sibi, suisque imaginibus honores, & ipsum per se, & per amicos expetiturum.

Porrò quod ad prodigium ipsum attinet, id ita interpretatur Abbatus sect. illa 21. *quando leges iubere cæpit Ecclesia Romana; tunc loqui cæpisse statuam: stante orbe tanquam arrectis auribus; & quid ab illa præciperetur auscultante.* At si ita est, longè ante Bonifacij tempora imago hæc loquuta fuisse dicetur. extant enim plurima decreta, constitutionesque Gregorij Magni, extant decretales Leonis Magni Epistolæ; extant vetustissimorum Pontificum, atque eorum ipsorum, qui Ecclesiam proximè ab Apostolis gubernarunt, plurimæ sanctissimæque sanctiones. Anacletus quidem certè Domitiano Imperatore, hoc est, necdum etiam è viuis sublato Beato Ioanne, Pontificatum iniit. is Epistolam decretalem scripsit, vbi multa constituit de iis, qui sacerdotes accusant; de Episcopis sacrificium offerentibus; de peregrinis, & prouincialibus iudiciis; deque appellationibus oppressorum Tomo 1. conciliorum, Epistola prima

Anacleti,

Anacleti, quam vnam ex omnibus tum eius, tum ceterorum eius ætatis Pontificum, Epistolis profero, quia Canonem ex ea desumptum à Gratiano in decreto de consecratione distinct. 2. Can. peracta, Caluinus in præfatione Institutionis pro se citat; quamuis, vt in notis ad eam præfationem animaduertimus, Gratiani deceptus inscriptione, Canonem illum Calixto, & vetustissimo Pontifici, & Martyri tribuerit. Vides quam multis ante sæculis hæc imago loquuta sit: quam vestris etiam fabulis edolatus existeret Antichristus?

Et faciet omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis; & ne quis possit emere, aut vendere: nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius. 6. *De charactere Bestiæ.*

De numero nominis bestiæ libro 2. nonnihil disputatum est, vt eodem redire necesse non sit. Restat vt de Charactere dicamus. Nos hæc ita, vt scripta sunt, intelligenda existimamus; quia si ita intelligantur; nihil aut absurdum, aut alienum continent à veterum Tyrannorum, atque ab hominum consuetudine alienum. Nam neque externas internæ fidei notas gestare, abhorret ab humana consuetudine; neque nouum, aut inusitatum Tyrannis est, communi hominum iure, ac mutuis Societatis officiis spoliare fideles; eorumq; religioni cuniculis insidiari. Huc spectant eæ in primis Iuliani leges, quas lib. 10. cap. 24. commemorat Nicephorus, quibus foro, Iudiciis, aula, militia, ipso propemodum humano commercio Christianis interdictum est. Adde immanes pecuniarum solutiones, eo nomine Christianis impositas, quod Deos venerari recusarent. Cuius vos, vt impietatem, & defectionem ab Ecclesia; ita leges

monia eiicient. esse igitur in Ecclesia verè, fideliterque credentium debet vera miraculorum gloria; quæ & si non per quemlibet fidelium Dominus operatur, sicut ne Apostolicis quidem temporibus: Ecclesiæ tamen communis est gloria: quia totius corporis ea actio est, quæ per membrum quodcunque corporis exercetur; atque ita credentium omnium ea miracula sunt; quæ edita per membra communi spiritu animata, communem omnium adstruunt fidem. Ostendat igitur nobis Abbatus qua alia in Eccesia miracula fiant: apud quos hæc Domini promissio perseueret: qui cautionem hanc Christi Domini oraculo confirmatam apud se teneant: ac tum demum nostrorum miraculorum fidem in dubium reuocet. Nam si apud nos vnos miracula fiunt; qui de iis dubitat, de fide Euangelij dubitat. Quanquam id quidem Caluinianis neq; nouũ neq; insolens est. quib. fides nõ ex auditu, sed ex arbitrio est. Ex quo apertissimè patet, quam non modò parum fideliter, verum etiam stultè hunc ipsum locum tractans in præfatione institutionis suæ Caluinus; nobis obiiciat Augustinum 2. de vnitate Ecclesiæ cap. 16. à quo, ne Magistro suo aut ineptia, aut impietate concederet, imposturam hanc mutuatus est Abbatus, qui eo etiam turpius ea in re peccauit: quod cùm verba ipsa Augustini proferret, ne facessferent negotium, quædam omisit. Cùm enim Donatistæ nescio quæ mirabilia suę communionis hominum protulissent; quibus probarent veram Ecclesiam à se stare; neque facilè posset Beatus Augustinus illam vel Dæmonum, vel hominum imposturam reuincere: contra iis ipse quoque obiicit miracula, quæ passim fiunt in Ecclesia Catholica. Et cum vtrinque mirabilia quædam afferrentur: negat iis aut posse aut debere quæstionem decidi.

decidi. Quare cùm ea dixisset, quæ pro se citat Abbatus, quibus ostenderet fieri posse, vt nonnulla mirabilia etiam apud impios, atque infideles vel fraude Dæmonum, vel alia ratione contingant; ea etiam subdit, quæ, nisi oculos sibi ipse vellet effodere, proferre Abbatus non poterat. *Vtrum isti* (Donatistæ,) inquit, *Ecclesiam teneant: non nisi de diuinarum scripturarum canonicis libris ostēdant. Quia nec nos proterea dicimus nobis credi oportere, quod in Ecclesia Christi sumus; quia ipsam, quam tenemus commendauit Mileuitanus Optatus, vel Mediolanensis Ambrosius, vel alij innumerabiles nostræ communionis Episcopi; aut quia nostrorum collegarum conciliis ipsa prædicata est; aut quia per totum orbem in locis sanctis, quæ frequentat nostra communio, tanta mirabilia vel exauditionum, vel sanitatum fiunt; ita vt latentia per tot annos corpora martyrum, quod possunt à multis interrogantes audire, Ambrosio fuerint reuelata, & ad ipsa corpora cæcus multorum annorum ciuitati Mediolanēsi notißimus, oculos, lumenq; receperit: aut quia ille somnium vidit, & ille spiritu assumptus audiuit, siue ne intraret in partem Donati, siue vt recederet à parte Donati. Quæcunq; talia in Catholica fiunt; ideò sunt approbanda, quia in Catholica fiunt: non ideò illa approbatur Catholica, quia hæc in ea fiunt.* Quo loco non vrgebo sanctorum locorum religionem, venerationem reliquiarum, miracula martyrum diuinis reuelationibus, veteris Ecclesiæ vsurpatione, approbatione, fide, Augustini testimonio confirmata. Illud ago, vt omnes intelligant; quàm alienus à vestra insania sit Beatus Augustinus, ex quo vbi trunca quædam, & mutila protulistis: tanti viri nomine ad illudendū simplicitati multitudinis abutimini. Ille quidem certè & multa, & magna miracula fieri in locis sanctis, atque ad reliquias martyrum testis est, eaque vel eo nomine ap-

 proban-

probanda censet, quod in Ecclesia Catholica fiunt & Donatistarum opponit præstigiis. Sed quia, vt iam antè dixi, cum vtrinque miracula proferrentur, neque facilè esset dignoscere, vtra tandem vera, vtra in speciem tantum miracula censenda essent: aliam iniit rationem pugnandi cum iis; qui hoc armorum genere pares fortasse videri poterant.

Postulas deinde Nazarenorum more, ea apud vos etiam fieri, quæ facta audistis apud eas gentes, quibus nunc primùm Euangelij lumen infertur. Sed quorum par non est causa, ne conditio quidem par esse debet. Illi non tam consilio, ac voluntate sua, quàm rerum diuinarum ignoratione versantur in tenebris: vestra vos incredulitas, atque malitia excæcauit: neque vos, qui spontè compressis oculis dilexistis magis tenebras, quã lucem, emollirent miracula, sed obdurarent. Quare id incredulitas vestra suppeditat nobis ad respondendum, quod Euangelistæ scribunt, propter incredulitatem ciuium suorum signa, ac virtutes dominum facere apud eos non potuisse; cùm tamen alibi virtus de illo exiret, & sanaret omnes. Neque tamen reliquit se ipsum sine testimonio, qui quamuis generationi isti peruersæ, atque adulteræ, vt olim Iudæis signa quærentibus denegarit: non negauit tamen signum Ionæ Prophetæ. Quotidie conuenitis in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Initis consilia, vt mittatis lignum in panem eius, & eradatis eum de terra viuentiũ, & nomen eius non memoretur apud vos amplius: mẽbra eius exiliis, carceribus, vinculis, bonorum proscriptione conficitis, verberibus conscinditis, equuleis distenditis, nouis cruciatuum formis, quas odio religionis, & nocendi cupiditate stimulata crudelitas subinde excogi-

excogitat, laniatis. Denique sancti martyres propter ipsum mortificantur tota die, æstimati sunt sicut oues occisionis. Quæ vrbs, quod oppidum, quis vicus, quis pagus in Anglia nostro Catholicorum sanguine non redundat? & cùm quotidie in membris suis proscribatur, addicatur, lanietur, occidatur Christus à vobis; semper tamen viuacior surgit è funere, atque irrigata suo sanguine Ecclesia reuirescit. Vetus hoc est Christianorum elogium; cadere singulos, vt multiplicati resurgant. neque minui persequutionibus Ecclesiam; sed augeri; Nos morimur; sed vos nostra morte deficitis. Vestræ superstitionis est damnum, quicquid Ecclesiæ demitis. purgatur palmes, vt fructus plus afferat. nullis sulcis Euangelium melius creditur, quàm quos in sanctorum carnibus persequutorum immanitas exarauit. Vocalis est sanguis martyrum, qui è terra clamans exauditur in cœlo: & plerunque quos flectere Euangelij verbum nõ potuit; prædicatio sanguinis emolliuit. Cedite aliquando Deo: credite diuinis oraculis, impossibile est teneri Christum ab Inferis, aut sanctum Dei videre corruptionem. Cur fremitis? cur inania meditamini? Adeò inuictus est martyrum sanguis; vt non modò in honorem conuertat triumphi etiam instrumenta supplicij: sed eligente Deo, quæ infirma sunt mundi, vt fortia quæque confundat, attactis etiam paleis, quasi validissimis arietibus Satanæ munitiones expugnet. Quantum vobis? quantum vestris magistratibus? quantum regio consilio admirationis attulit? quantum terroris incussit? quos tota Anglia motus excitauit animorum Garnetiana illa palea, in qua cœlesti artificio sanctissimi, ac fortissimi viri sanguis expressit effigiem? vt in sanguine suo viuens iustus mortuus, viuos impios condemnaret; do-

ceretque piorum hominum non animos modò, sed ipsam etiam mortem fide animatam viuere, & caritate vegetari. Itaque vir egregius, qui admirabili patientiæ ac pietatis exemplo multò plus Angliæ moriens profuit, quàm viginti ipsos annos maximo popularium suorum bono in summis laboribus Euangelij causa latitãs profuerat: multò magis, quàm vnquàm antea muros Iericuntinos palea concutit; & clamore Beati sanguinis labefactat. Et miracula à nobis requiritis, qui hæc tanta, tam testata, tam certa tenetis manibus, neque creditis? Sed vide quàm tibi ipse non constes, si hæc apud nos mirabilia fiunt, quæ quia negare non potes facta, auctorem eorum Satanam esse calumniaris: cur ea in Anglia quoq;, ac vobis inspectantibus fieri postulas? multúmne interesse existimas hoc, an illo loco aliquid fiat; dum factum sine controuersia constet? aut miracula Christi Domini minoris ducis, quia in Iudæa, non in Anglia edita sunt? An verò difficile futurum existimas siue Deo, siue Satanæ, eorum similia in Anglia atque Brittania facere, quæ aliis in locis ediderit? verebitur scilicet os istud importunum, & ferreum, quisquis ille est auctor miraculorum: vt exercere vires suas te præsente non audeat. Quod si miraculis fidem abrogas, neque te constans omnium hominum sermo, ac testificatio mouet (cui enim hominum Angelorúmue fidem habeas; qui Deo negaueris?) vbi igitur illa Antichristi prodigia, quæ constanter in scripturis omnibus prædicata, cùm negare non posses, centuriatores sequutus, ad ea, quæ fiunt in Ecclesia Catholica reuocasti? Vtrum igitur mauis? téne stultè postulare, vt apud vos edantur miracula; an Antichristum carere signis atq; prodigiis? Sed neque illud ab ista vecordia, ac moribus alienum
est.

eſt, cum veſtra omnis ſapientia tempori maximè ſeruiat; neque cùm opportunũ fuerit, hoc magnoperè moraberis.

Accedis deinde propius ſect.20. ad ea ſigna, quæ hoc loco commemorantur ab Antichriſto facienda. Atque vt tibi more veſtro ad allegoriam reuocare omnia liceat; notas ex Hieronymo (quẽ tu ſcilicet tãti facis; vt tibi in hoc Antichriſti negotio velut euulſis oculis cæcutire videatur) Apocalypſim tot habere Sacramẽta, quot verba, ac totam eſſe ſpiritualiter intelligendam. Infelix etiámne cùm cap.17. ſeptem montes commemorantur, in quibus meretrix ſedeat? etiámne cùm meretrix illa dicitur eſſe ciuitas magna, quæ habet regnum ſuper reges terræ? etiámne cùm à decem illis regibus futurum prædicitur excidium Babylonis? quæ tu tanta verborũ pompa pro tua cauſa protuliſti. Quod ſi hæc Hieronymo ipſo interprete, teque in primis aſſentiente, propriè accipienda ſunt; quid eſt, quod inſanias, vt quod ille hyperbolicè ſcripſit in primis propter Chiliaſtarum errorem; hoc tu tam preſsè accipiendum contendas; vt tibi oculos eruas? quod ſi multa ſunt allegoricè, nonnulla etiam propriè intelligenda: qui tandem noſti, quæ hoc loco ſcribuntur; ea propriè accipi non oportere? *Quia eodem modo*, inquis, *aſſerere poteris, nõ pluiturum tempore Antichriſti: quia Enoch, & Elias, vt tu vis, claudent cælum, ne pluat in diebus prophetiæ ipſorum. Et Enochum, & Eliam eſſe negaueris, vbi venerint, quia ignes de ore non expuunt, nec aquas in ſanguinem conuertunt; quia illos hæc facturos ſcriptum eſt, quæ ſi ſunt abſurda, vt ſunt: diſce ſpirituale aliquid eſſe ignem illum Antichriſti.* Non miror Caluiniano homini abſurda videri ea, quæ alias iam facta ſcriptura diuina commemorat. mirarer ſi quicquam eſſet in

ſacris oraculis, quod palato illi ſaperet. Age homo perdite, qui non modò factis, quod omnium tui ſimilium eſt, ſed verbis etiam noſſe te Deum negas. inficiarinè potes, ſcriptum eſſe in ſacra Regum hiſtoria, idque deinde ipſius Chriſti oraculo primùm in Euangeliis, tum Apoſtolicis Epiſtolis confirmatum, effectum eſſe, Eliæ precibus, quo tempore is cum hominibus verſabatur; vt tribus annis, ac ſex menſibus ne plueret? Quid illud? negabis ne iiſdem litteris proditum eſſe, Quinquagenarios illos Eliæ Imperio igne de cœlo delapſo cum ſuis militibus eſſe cõſumptos? aut verò ignem ex ore vibrare commodè dici non poſſe videtur is, cuius Imperio depluat? Quid? nonne Moyſes ipſe mandauit litteris, aquas à ſe conuerſas in ſanguinem, cùm miſſionem populi, quam impetrare non poterat, ab impio rege calamitatibus extorqueret? Aut igitur mentitur ſcriptura, quod te pro tua in Deum fide velle non dubito, aut ſi hæc aliâs facta ſunt; neque abſurda, neque incredibilia ſunt: Niſi fortè abbreuiata eſt manus Domini, ac poteſtas eius exhauſta: vt quod ſemel fecit, repetere nequaquàm poſſit. Sin autem id patrare ſe velle conteſtatur Spiritus ſanctus, quod quia alias præſtitit, & præſtare poteſt; neque præſtari abſurdum eſt: Quid hæc quaſi noua, inaudita, abſurda, puerilia nobis obiicis? ac fidei noſtræ ſimplicitatem derides; quod verba Dei qua par eſt veneratione ſuſcipimus, ignem intelligentes, quem is ignem vocat, & aquas, aquas, & ſanguinem ſanguinẽ? Sed vos quorum ſua cuique libido Chriſtus, atq; Euangelium eſt; quo liberius in quancunque partem animo veſtro collibitum fuerit ſcripturas trahere liceat, in earum interpretatione, allegorias adamaſtis.

Seduxit

Seduxit habitantes in terra propter signa, quæ data sunt ei facere in conspectu bestiæ; dicens habitantibus in terra, vt faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit. & datum est illi, vt daret spiritum vitæ imagini bestiæ, & vt loquatur imago bestiæ, & faciat, vt quicunque non adorauerint imaginem Bestiæ, occidantur. 5. *Vtrum imago Bestiæ reuera loquutura sit.*

Quid imagine Bestiæ intelligat Abbatus, supra cùm de superiore bestia disputaremus, attulimus; apertissimeque docuimus deliramenta ea esse hominis minimè sobrij; non vaticinia Beati Ioannis. quo etiam loco interpretationem nostram, postulante id ipsa disputatione, satis indicauimus; vt repetere non sit opus. Vnum illud est reliquum; vt vnicam Abbati, eamque ridiculam obiectiunculam diluamus. *Secundum miraculum,* inquit, sect. 21. *à Bellarmino commemoratur, quod faciet, vt imago bestiæ loquatur. Quod ille de statua, siue simulacro aliquo intelligit, cui vim loquendi Antichristus daturus est. Oblitus imperaturum Antichristum; vt adorent homines imaginem hanc, cum ipse defendat Antichristum Idolorum adorationem omnem prohibiturum, nec passurum, vt vlli siue simulacro, siue numini cultus religionis deferatur; præter quam sibi.* Quo loco dum obliuionis accusas alium; insaniam tuam prodis Abbate. Quid enim? videtúrne tibi necessariò consequi, si quis quenquam alium coli præter se vetet; eum ne suam quidem imaginem coli passurum? an ignoras honorem eum, qui simulacro defertur, in prototypum redundare? An cum Nabuchodonosor apud Danielem statuam suam diuinis honoribus coli voluit; aliquid sibi venerationis detrahi, non religiosius coli se ea superstitione existimauit? Aut verò, cùm Laureata sua prisci Imperatores mitterent; atque imagines in præcipuis Imperij vrbibus honorari præcipe-

rent;

Anacleti, quam vnam ex omnibus tum eius, tum ceterorum eius ætatis Pontificum, Epistolis profero, quia Canonem ex ea desumptum à Gratiano in decreto de consecratione distinct. 2. Can. peracta, Caluinus in præfatione Institutionis pro se citat; quamuis, vt in notis ad eam præfationem animaduertimus, Gratiani deceptus inscriptione, Canonem illum Calixto, & vetustissimo Pontifici, & Martyri tribuerit. Vides quam multis ante sæculis hæc imago loquuta sit: quam vestris etiam fabulis edolatus existeret Antichristus?

Et faciet omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis; & ne quis possit emere, aut vendere: nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius. 6. *De charactere Bestiæ.*

De numero nominis bestiæ libro 2. nonnihil disputatum est, vt eodem redire necesse non sit. Restat vt de Charactere dicamus. Nos hæc ita, vt scripta sunt, intelligenda existimamus; quia si ita intelligantur; nihil aut absurdum, aut alienum continent à veterum Tyrannorum, atque ab hominum consuetudine alienum. Nam neque externas internæ fidei notas gestare, abhorret ab humana consuetudine; neque nouum, aut inusitatum Tyrannis est, communi hominum iure, ac mutuis Societatis officiis spoliare fideles; eorumq; religioni cuniculis insidiari. Huc spectant eæ in primis Iuliani leges, quas lib. 10. cap. 24. commemorat Nicephorus, quibus foro, Iudiciis, aula, militia, ipso propemodum humano commercio Christianis interdictum est. Adde immanes pecuniarum solutiones, eo nomine Christianis impositas, quod Deos venerari recusarent. Cuius vos, vt impietatem, & defectionem ab Ecclesia; ita leges

imitamini; dum acerbissimis proscriptionibus, mulctisque minimè ferendis Catholicos diuexatis; quod Synagogas vestras adire, quod vobis cõmunicare, quod conciones vestras audire renuant; dum omni tandem re familiari exhausta, aut squallore carcerum conficiatis, aut opprimatis intestata calumnia maiestatis. Cautum etiam fuisse edictis Principum, ne Christiani iudicio res suas repeterent, & in nonnullis martyrum historiis legimus; & satis colligitur ex Apologia Melitonis apud Eusebium lib. 4. cap. 26. *Impudentes*, inquit, *homines, & calumniosi, qui rapere aliena desiderant, occasione accepta imperialium praeceptorum, more praedonum die noctuque grassantur, & diripiunt innocentes*: Denique quid opus est similia quærere, cum idem planè, quod de Antichristi persequutione vaticinatur Beatus Ioannes, factum à Diocletiano teneamus? qui, vt ex Beda, & Areta refert summa vir eruditione Cardinalis Baronius ad annum Domini 286. edicto cauit, ne Christianis vendere quicquã, aut emere liceret; nisi prius thus Diis incenderent. Iam quod ad characterem spectat, etsi quis ille, qualisuè futurus sit, cùm Beatus Ioannes non doceat, ne diuinando quidem, dicere possumus: futurum tamen signum aliquod, quod in protestationem antichristianæ superstitionis gestent ij, qui se eius cultui addixerint, cum id apertè scriptura doceat, certo scimus. Idque in manu, atq; in fronte, vel quod ex omnibus corporis partibus, eæ notissimæ, maximèque expositæ sunt; vt illa veluti tessara Antichristi sectatores sine errore vllo dignoscãtur; vel quod capite, quæ suprema pars est corporis, sedesque rationis, mens; manu, opera designantur. vt ea ratione indicent, totos se se illi ac penitus, suaque omnia dedidisse. Neq; verò nouum, aut insolens est, notam aliquam, & characterem in fronte gestari. Gestabant olim

olim Imperatores crucem in fronte; vt ſuam in Chriſtum fidem, ac ſeruitutem conteſtarentur. Vnde eſt illud Auguſtini tractatu in Pſal. 54. Iam in fronte Regum crux illa fixa eſt; cui inimici inſultauerunt. Geſtarunt antiquiſſimi & ſanctiſſimi monachi eandem ob cauſam in cucullo, vt videre eſt apud Gretſerum noſtrum lib. 2. de cruce. totius Occidentis, atque Orientis Clerus, quamuis frementibus inimicis crucis Chriſti, crucem geſtat in capite, inſigne ſeruitutis Chriſti, notā religionis. Ac ne à barbaris quidem, & impiis ea conſuetudo vſurpata non eſt. Non niſi mahumetanæ ſuperſtitionis æmulis candentibus faſciis in turbinem compoſitis, caput tegere apud Iureas licitum eſt. Apud eoſdem indicem tollere; Mahumetem vel amplecti, vel profiteri eſt. vt talem aliquam teſſaram Antichriſtianis etiam dari, vel ab Antichriſto ipſo, vel ab eius Pſeudopropheta, neque nouum, neque alienum futurum ſit ab humana cōſuetudine. Quid igitur eſt cur propriè vaticinium hoc intelligendum negetis; niſi quia allegorica veſtra in Deū fides proprium ſcripturæ ſenſum non patitur? Itaq; non modò nō moleſtè ferimus: ſed vltro etiam affectamus, quod ſcribis ſect. 25 Bellarminum ſuorum more hæc ad litteram intelligere. Hæc eſt enim gloria noſtra, vt verba Dei fideliter accipiamus, neque diſcedamus à littera; niſi ad myſticam intelligentiam nos neceſſitas adigat. morem hunc à maioribus noſtris accepimus, hunc tenemus, hunc tenebimus, quamuis diſſecentur Hæretici. At enim, inquis, Lyranus intelligit determinatū viuendi modum, qui in dextera manu ſuſcipi dicitur, quantum ad operationem, in fronte verò per apertam confeſſionem. Quin tu etiam totum hoc poſterioris beſtiæ vaticinium de Mahumete interpretaris, quod

agere eo capite Lyranum vides? qui cùm in eius sectariis characterem hunc in dextera, atque in fronte non inueniret, confugere ad spiritualem interpretationem coactus est. quanquam ille quidē non tam affirmat; quā suspicionem suam eo loco aperit. Per characterem, inquit, videtur hic intelligi determinatus modus viuendi secundum legem Mahumeti, *&c.* Tu verò ne quicquam veri vspiam diceres, quod non aliqua mendacij admixtione maculares; quod ille addubitans, neque planè interpretationi suæ acquiescens dixit: quasi absolutè ab eo pronunciatum, vt fidem tibi alieno nomine faceres, protulisti. Addidisti etiam S. Thomam 3. parte quæst. 63. art. 3. ad 3. qui characterem bestiæ docet esse professionem cultus illiciti, quemadmodum character sacramentalis est, quo distinguuntur fideles Christi à seruis Diaboli in ordine ad cultum præsentis Ecclesiæ. quo ex loco quid tandem colligis? aut is ad rem tuam quid tandem facit? An negare tu ipse potes, Sacramenta statas quasdam esse Christianæ religionis cæremonias, quibus initiantur fideles, tum propter alias causas, tum verò etiam vt ab infidelibus dignoscantur; eorumque susceptionem quandam Christianæ religionis contestationē esse? quid igitur impedit, quominus ea illiciti cultus professio, quæ erit sub Antichristo; fiat certis quibusdā, & constitutis symbolis, quorum gestatione Antichristiani dignoscantur? An tibi circumcisio non videtur fuisse signaculum fidei, quo omnes Abrahæ posteri diuinum cultum profitebantur? Cur igitur eadem ratione Antichristi superstitionem profiteri rerum ipsarum gestatione eius disciplinæ æmulis non licebit? aut quid tandem iis sancti Thomę verbis continetur minus cum nostra interpretatione consentiens? quamuis ille quidē quia eius loci non erat ea disputatio id vnum explicarit, quod

quod ad præſens negotiũ facere videbatur: de reliquis nihil dixerit. Sed erit operæ pretium tuam interpretationem inſpicere diligentius: duplicem ais ſect 25. hoc loco deſcribi characterem; alterum, qui ad omnes omnino pertineat; alterum eorum proprium, qui emunt venduntque. Id verò figmentum tuum eſt. nuſquàm enim id characterum diſcrimen apud Ioannem inuenies. neque neceſſe eſt, ſi nemini vendere, aut emere quicquã licet, niſi qui habuerit characterem beſtiæ: alterum eũ eſſe characterem ab eo, quo omnes inſigniri præcipiet. Sed quia vix quiſquàm eos humanæ ſocietatis contractus poteſt effugere; id circo iubebit, priuſquàm contrahendi facultas cuiquam fiat, inſpici vtrum characterem ſuum geſtet. Porro ad priorem tu characterem refers ea omnia, quæ in communi fidelium vitæ ratione ſeruantur in Eccleſia Catholica. Ad poſteriorem verò eos ritus, ac cœremonias, quæ clericorum, ac religioſorum ſunt propriæ. Sed cùm omnia, quæ obiicitis, ſingillatim Bellarminus oſtenderit in Eccleſia Catholica ante obſeruari ſolita; quam Bonifacius Pontificatum iniret; ob eamque rem non poſſe ad characterem Antichriſti pertinere; tu quia neque repugnare, neque tenebris tuis apertiſſimam veritatem obſcurare potes; *Non ſequitur*, inquis, *quod iterum excipit Bellarminus, illa, quæ diximus, in vſu Eccleſiæ fuiſſe ante tempus illud, quo nos Antichriſtum veniſſe defendimus: proinde in illis, Antichriſti characterem conſtitui non poſſe.* Certè illud ſequitur, velis nolis, communem eam notam veteribus, veriſque Chriſtianis cũ iis eſſe, quos Antichriſtianos vocatis: ob eamque rem alteros ab alteris ea nota diſtingui nequaquã poſſe. qualis autem tua iſta tam ignota nota eſt? aut quis vſus characteris, quo alterum ab altero non dignoſcas? Sed tu, vt es ingenioſus, & acutus, excogitaſti neſcio quam

aliam dignam isto ingenio, ista dialectica, ista sapientia rationem. *Quandoquidem*, inquis, *ab aduentu Antichristi, vt sæpe diximus, non origo, & initium apostasiæ, cuius ratione olim ab ipso Apostolorum sæculo dicitur in mundo extitisse; sed auctoritas, & incrementum, & consummatio esse debuit*. Qua in ratione tua quod Patres, quod Apostolorũ discipulos, quod Apostolos ipsos apostasiæ auctores: quod te, quod sodales tuos, quod Caluinum, Lutherũ, Zvvinglium, aut diuinæ gloriæ magis studiosos, aut rerum diuinarum peritiores facis, quã Augustinum, Hieronymum, Cyprianum, Irenæum, Polycarpum, Ignatium, ipsos deniq; Ioannem, Petrum, Paulum columnas Ecclesiæ, in præsentia non exagito: non viderint ij sanè apostasiam istã, iam tum inolescentem in Ecclesia; aut si viderunt, ineptè, impiè, sacrilegè tolerarint: quam aut incredibili quadam, vel ingenij, vel Spiritus magnitudine persenserit, aut diuinæ gloriæ studio, nihil veterum auctoritatem moratus substulerit ab Ecclesia Lutherus, quando eum omnibus etiam Apostolis, vno excepto Paulo, vestri præferre non dubitant. Illud abs te quæro; sintne ea omnia eiusmodi, vt qui ea vsurpet, tamen verè Christianus Catholicus, atque Apostolicæ sectator fidei dici possit, an secus? Nam si potest; edissere mihi tantisper homo diserte, qua ratione Antichristianos à genuinis Christianis isto charactere dignoscas. Si autem posse negaueris, contumaciã istam oris importunissimi libenter aspiciam, qui ab Ecclesia Catholica totum illũ Christianæ religionis florem abigere, atque apostasiæ, sacrilegiique damnare non dubitet.

At quam lepidè ad rem tuam totum hoc vaticiniũ detorques? Cùm ait Beatus Ioãnes, facturam posteriorẽ bestiã, vt omnes adorẽt imaginẽ bestię; de imagine prioris bestiæ, quia allegoria tua nõ repugnat, interpretaris.

Cùm

Cùm in eodē planè verborū textu subdit, facturā eandē, vt nemo possit vendere, aut emere, nisi qui habuerit characterem bestiæ, ad posteriorem ipsam bestiā refers; vt sensus sit, faciet, vt nemo emere possit, aut vendere, nisi qui characterem suum habuerit. At quo tandem auctore? quibus indiciis id affirmas? quis est, qui cùm illa legerit, non intelligat aliam esse bestiam, quæ factura sit, ne quis sine charactere bestiæ contrahat; aliā eam, cuius characterem gestandum curabit? Nam si quod tu affirmas, id significare voluisset; multò, & apertius, & melius dixisset, faciet, ne quis vendere possit, aut emere; nisi qui characterē suum habuerit. Sed nimirum posterior illa bestia, quæ non suā, sed prioris gloriā quæret, vt priori imaginē ponēdā curatura est: ita quoq; efficiet, vt prioris characterē omnes gestent; neq; vendere quis, aut emere possit; nisi qui aut characterem, aut nomen, aut numerū nominis eius habuerit. Capite quidē certè 19. extremo apertè docet Spiritus sanctus, curasse pseudoprophetam, cuius posterior bestia typus est, vt bestiæ character ab hominibus susciperetur. Quid quæ sequūtur, quam commodè interpretaris? nisi qui habuerit characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius. *Porro*, inquis sect. 26. *iidem quoque omnes* (Clerici & religiosi) *characterem nominis, siue numerū nominis eius accipiunt: vt quemadmodum ille latinus dictus est, ita hi quoque latini sint, hoc est, latinè docti sint; vt pote qui alioqui mercaturæ isti parum idonei sint. quia alioqui non missas decantare, non indulgentias publicare*, &c. Enim verò mi homo aut planè desipis, aut sciens fallis. quæro enim ex te, idē nè omnino significare velis trib. iis vocabulis, charactere, nomine bestiæ, ac numero nominis eius? Nam si idē nominibus iis significari existimas: primum tecum ipse pugnas; cùm characterem, quem paulò antè in rasura

vnctio-

vnctionibus, ac vestium genere posueras; nunc in latinæ linguæ notitia colloces. Deinde diligenter cogita, quid ad legem disiunctarum respondeas, cùm enim disiunctionis notã ad tria illa vocabula sanctus Ioannes addiderit, idem significare non possunt; cumque ex iisdem disiunctarum legibus singula sufficere debeant ad emendum, vendendumque: tibi cui sine latinitate nundinæ istæ non constant, rasura, vestesque latinitatis ignaro, hoc est sine nomine, character non sufficit. Sin autem singulis vocibus singulas subiicis notiones: vide quo res euasura sit. Nam characteri, rasura, vnctiones, ac certa respondent genera vestium, vt paulò antè docueras, nomini respondet latinitatis scientia; numero nominis quid tandem auctore te respondebit? quanquam ne hic quidem relictus est tibi liber ad euadendũ locus: nã latinus, si ad Antichristum spectat, ad numerũ nominis eius refertur, vt tu secundo capite tam multis probare conatus es; aliquid igitur aliud excogitare debuisti, quod referretur ad nomen, si aliud nomine, aliud numero nominis designari existimasti. Sed tu consultò ista misces, ideoq; vocas characterem nominis; vt idem esse videatur character, nomen, ac numerus nominis; atque ita totum illud vaticinium quadrare tuis næniis videatur. Quanquam hæc quoque mendacissimè more tuo disputas. Nam non admittimus nos quidem cerdones, cæmentarios, caupones, stabularios, atque alias id genus hominum quisquilias, quas Lutherani Euangelij Spiritus afflare plerunque solet; sed homines litteris satis eruditos, requirimus, quos dispensatores constituamus mysteriorum Dei: verùm græcè ne ij, an latinè docti sint, minimè laboramus. Ecclesia neque aut vnius gentis hominibus constat, aut vnius nationis

nis lingua in diuinis officiis vtitur; modò eiusmodi sit quæ sacrorum maiestatem, ac venerationem sustentare possit. Florentina synodus græcos latinosque patrios ritus retinere iussit. Id quod iam antè statuerant Cœlestinus, & Innocentius, cum ille vel sacris à latino Episcopo græcum sacerdotem initiari vetuisset; ne vlla fieret permixtio rituum, cap. Cùm secundum, de temporibus ordinationum: hic in Græcorum Ecclesiis græcè diuina officia celebrari præcepisset, cap. Quoniam in plerisque, de officio iudicis ordinarij: qui mos in Appulia, Salentinis, Calabria, Sicilia, in Agro Tusculano, Anconæ, in ipsa deniq; vrbe viget. Ægyptius Cophtorum Patriarcha, à quo Æthiopia petit præcepta fidei, ad communionem Catholicam nuper Clemente octauo Pontifice rediit: ecqua vnquam mentio linguæ latinæ in sacris adhibendæ in ea reconciliatione facta est? Maronitæ incolæ Lybani Montis diuinorum oraculorũ elogiis inclyti, qui si iis credimus in totius Oriẽtis defectione à communione Catholica nunquã discesserunt, Chaldaica lingua non in patria modò, sed in vrbe etiam sacris operãtur. Ruthenis non ita pridem ad Ecclesiã adiunctis antiquũ sacrorum morem, ac cæremonias retinere permisũ est. quorũ legatus Hipatius Luceoriensis Episcopus priusquã ab vrbe discederet, lingua, rituque patrio sacrificium obtulit. Mentiris igitur cum affirmas in Ecclesia Catholica, nisi qui latinè nouerit, neminem ad altaris ministerium, atque Ecclesiastica munera idoneum censeri; atque alius tibi quærendus est character nominis bestiæ, ad quem tuas istas nundinas accommodes; vt aliquid dicere videare.

Quod si ex me fortè quæras quid ego charactere, quid nomine, quid numero nominis innui hoc loco

credam; ingenuè confiteor ignorare me. quia consultò Spiritus sanctus prophetias ita composuit; vt antequã ea fiant, quæ prædicuntur, neque penitus lateant, & tamen cum singula euoluere, atq; enodare cœperis, difficiles plerunque explicatus habeant: cùm impletæ fuerint, ipso rerum euentu lucem iis tenebris afferente, planæ admodum apertæque sint. Si tamen coniectura vti in re obscurissima liceat; Crediderim tria hoc loco signorum genera indicari, vnum vulgi commune quẽ characterem vocat Beatus Ioannes quem, eam ob rem, posteriore bestia id agente maximè, gestaturos ait omnes pusillos, & magnos; alterum exercitus fortasse, vel familiæ proprium, quo ipsum eius nomen significetur; tertium arcanũ ac sacrum, quod ad paucissimos, eosq; gratiosos pertineat, quo numerus nominis eius, quasi mysticis notis contineatur. Huius coniecturæ ea ratio est, quod tria signorum genera indicat S. Ioannes, cùm scribit, fore vt nemo possit vendere, aut emere; nisi qui habuerit characterem bestiæ, aut nomen, aut numerũ nominis eius; cùm autem ad emendum, vendendumuè horum quod cunque per se sit satis: Characterem autem omnes pusilli, ac magni gestaturi dicantur; cui tandem vsui ad emendum, vendendumque nomen, ac numerus nominis eius erunt; si nemo planè futurus est, qui characterem non habeat? Vt igitur hæc aptè cohæreant, ita videntur intelligenda, fore vt gestandi characteris lege omnes omnino teneantur, nisi si quos ratio aliqua peculiaris exemerit, qui ad profitendam Antichristi superstitionem vulgari charactere non egeant, cum nomine, vel numero nominis satis insigniantur. Vt autem eos aulicos, milites, gratiosos, id genus hominum futurum suspicer; facit nostræ quoque tempestatis re-

tis regum, ac dynaſtarum conſuetudo; qui non modò famulos ac prætorianos milites certo veſtium genere ſecernunt à reliqua multitudine: Sed etiam gratioſiſſimum, ac nobiliſſimum quenque torque, vellere, calcari aureo, atque aliis id genus inſignibus honoris cauſa in clariſſimos ordines cooptare ſoliti ſunt. Vt tale quippiam in aula etiam Antichriſti futurum, quod hic Beatus Ioannes expreſſerit, non ſine ratione ſuſpicari liceat. Sed quicquid demum hoc vaticinio declaretur, id certè ab interpretatione tua, atque ab iis rebus, ad quas accommodare illud niteris longiſſimè abeſt Abbate. Vt vel hoc ipſum apertiſſimè blaſphemiam veſtrā conuincat: quod cum ipſis rerum, de quibus vaticinia ſunt euentis illuſtrari, atque explicari ea ſoleant; hæc nihilominus obſcura, atque implicata ſunt in præſentia, quā vnquam antea fuerint. Neque enim ſi illudente ſenſibus veſtris Satana, inducere in animos veſtros poteſtis, vt ea credatis, quæ ſcribitis: ideo etiam aliis perſuadere poteris delirare vobis cum Spiritum ſanctum. Innumerabiles eos Epiſcopos paſtoreſque, qui ſæuiente in Eccleſiam Ethnicorum Principum rabie, eius gubernacula tenuere, ſi te audimus, duo teſtes ſunt; quid habet tanta illa multitudo cum binario numero coniunctū? Menſes duo, & quadraginta vt annos reddant quattuor & nonaginta ſupra ducentos, ſeptenos annos tibi ſinguli complectuntur: at qua ratione ſeptennium menſis dici poteſt? dies etiam mille ducenti & ſexaginta eundem illum reddunt annorum numerum, quot tandem menſes in ſingulos dies numerabis? Tres illos dies, ac ſemis, quibus iacuiſſe duorum teſtium inſepulta corpora memorantur, in annos itē ducentos quattuor, & nonaginta vt explices, primum ſeptenium integrum in ſin-

gulas horas coangustas; deinde duodenis horis diem definis, vt totum illud spatium horas omnino contineat duas,& quadraginta. quod ita tandem eueniet si aut nullis nocturnis spatiis interpositis diem proximè dies excipiat: aut nocturnum duodecim horarum spatium dies vnus appelletur. Denique etiam, cùm planè ac sine vllis ambagibus contestetur Spiritus sanctus, non ante duos illos testes captum, atque occisum iri à bestia, quàm finierint testimonium suum, quod diebus continetur mille ducentis, & sexaginta, tu idem planè tempus esse contēdis prophetiæ eorum cum eo triduo, quod mortem eorum proximè consequuturum est. Et quemquam sanum futurum existimas, qui hæc tam insulsa, tam frigida, tam inepta, tam ab omni specie veritatis aliena Spiritui sancto tribuat, quæ ne dormienti quidem sobrio homini in mentem venire potuissent? Atque equidem priuatim insanire, ac vaticinari te credidissem, cùm ista scriberes: sed communem omnium vestrum morbum esse, vt mihi persuaderem, fecerunt theses non vno in loco ad disputandum à vestris Academicis propositæ id genus nugarum plenissimæ, quas à me non modò non refelli; sed ne commemorari quidem singillatim necesse est, cùm superiori disputatione satis euersæ sint.

7. *Georgij Sohns Theses castigantur.*

Sed Georgij Sohns, qui ἄθεον noui Euangelij Theologiam in Haidelbergensi Academia profitetur, stupor eiusmodi est; vt silentio præteriri non possit. Is ratus eādem esse poculorum, ac scripturarum tractandarū scientiam: theses edidit de Antichristo, quibus disputationi Theologicæ inscriptionem fecit, quarum prima ea est. *De Christo, hoc est, de persona, officio, & statu Christi disputationes habuimus: nunc de Antichristo disputationem institue-*

instituemus; vt melius adhuc Christi gloria intelligatur; quia contraria inter se collata, magis elucescunt. At quænam ista tandem positio est? aut quid continet, de quo disputatio possit institui? nisi fortè veretur, ne dubium sit, vtrũ de Christo vnquã tam stolidũ animal disputauerit; idq. defensurum se recipit Et profectò iure dubitari posset: nisi imperitissimum, ac stolidissimum quemque ad ministerium verbi & Lutheri Spiritus instigaret, & eius Synagoga reciperet. Sed hic ne ab instituto recederet, sextam eiusdem planè farinæ thesim his verbis ponit. *Atq. hic* (Antichristus, κατ' ἐξοχὴν) *quid, & quis sit, nunc potissimum quæritur. Nam de eo inter nos, & Pontificios controuertitur; sed nos hic nostram sententiam potissimum exponemus.* Repugnabit opinor quispiam, vel suam eum sententiã expositurũ, vel de magno illo Antichristo aut ipsũ quæsiturũ, aut controuersiã nobis esse Iam nona, ac decima thesis qua ratione differant, si mihi explicare potuerit; superiores illi ineptias condonabo. 9. *Sic autem in scriptura definitur*; (Antichristus) *quod sit homo regnum exercens*, &c. *Hæc est Antichristi illius definitio, quam è scripturis breuiter declarabimus.* Sensit quisquis Georgij tibi vocabulum indidit, cui te operi natura destinasset: Sed tu inuita, vt aiunt; Minerua scripturas pro glebis versas: neque lapidationem metuis, cùm bestia, quæ tetigerit montem, lapidari iudeatur. Lubet duodecimam conclusionem tantisper enucleare; qui possunt, stomachum teneant. *Quod non sit simpliciter*, inquit, *vna aliqua persona* (Antichristus) *seu vnicus, & singularis homo: sed genus hominum, seu homo regnum exercens, seu ordo ac status certus hominum; apparet ex 2. ad Thesalonicenses cap. 2. versu 3. & Danielis cap. 7. vers. 8. & Apocalyp. cap. 17. vers. primo, & cap. 18. vers. 3. vbi certè describitur Antichristus non*

vt vnicus quidam, & singularis homo, atque adeò vt indiuiduum: sed vt vniuersitas quadam hominum, & quoddam veluti regnum; in quo tamen semper vnus aliquis emineat, & reliquis præsideat; characterem suum imprimens Apocalyp. 13. vers. 17. Vis igitur Lutheranorum eruditissime, Antichristi vocabulo magnam quandam hominum multitudinem, ac veluti rempublicam; in qua vnus ceteris præsideat propriè denotari: idemq; esse Antichristum, quod Synagogam hominum impiorum, qui à Christi religione discesserint. idque in scripturis sanctis traditũ doces, 2. ad Thesalonicens. 2. vers. 3. quem locum quia tu paulò pòst expendis, in præsentia prætereo. addis etiã è Danielis 7. vers. 5. At quid ibi est; quod ad rem tuam facere videatur? *Considerabam*, inquit Daniel, *cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum, & tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius; & ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia*: Subiice iam consequutionem illam tuam domine doctor Haidelbergensis, ergo Antichristus est multitudo quædam hominum, in qua semper vnus emineat, ac præsideat ceteris, vt tui tuos etiam pudeat. Iam Apocalypsis 17. vers. primo ita legimus. *Et venit ad me vnus de septem Angelis, qui habebant septem phialas, & loquutus est mecum dicens. Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas.* An tu in tam multis etiam aquis temulentus es? Antichristum ne etiam vrbem aliquam facturus es? nam mulier ista, nisi tu fortè vaticinium hoc solertius interpretaris, quam Angelus is, qui Beatum Ioannem eius rei mysteria docuit; vrbs magna est, quæ habet regnum super reges terræ. Sed, quanquã id quidem sine ratione dicitur, sit sanè mulier illa Antichristus; quæ ne sedet super aquas multas, hoc est, multis populis

tis populis imperat, ideò euinces, Antichristum hominum esse multitudinem quandam, ac non potius hominem vnum, qui multas prouincias subiectas habeat? neque verò quicquam aliud ex vers. 3. cap. 18. Apocalypseos colliges, etiam si tibi concessero Babylone illa Antichristum intelligi; nisi, fore vt vniuersus ferè terrarum orbis superstitione eius imbuatur. *de vino iræ fornicationis eius*, inquit, *biberunt omnes gentes, & reges terræ cum illa fornicati sunt & mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites facti sunt*; Ex quibus tuam illam consequutionem expecto qui tandem elicias; ergo Antichristus est multitudo hominum, in qua semper vnus emineat. Nam quod ex Apocalypsis 13. vers. 17. profers, eũ, qui vniuersis in Antichristo tuo emineat characterem suum reliquis impressurum esse: scire abs te peruelim, priorem ne, an posteriorem bestiam Antichristum facias, nam si prior est Antichristus, ea autem characteris impressio posterioris inuentum eo loco esse memoratur: non admodum tu quidem fideliter locum citas. Si posteriore bestia Antichristum notari malis: is profectò non suum, sed prioris bestiæ characterem impressurus est: Sed hæc effugium fortasse nonnullum habent: quæ sequuntur in eadem thesi videamus. Probas Antichristum vniuersitatem esse hominum, in qua semper vnus præsideat: quia *Primum*, inquis, *meminit Paulus ἀποστασίας, hoc est, vniuersalis defectionis à fide, qua certè vnum corpus, & vnum regnum facit. nec est opus paucorum annorum.* Non disputo quam multis annis opus sit, quaque ratione fieri possit; vt ad Antichristi superstitionem tam breui tempore orbis terrarum deficiat: satis nugas hasce magistrorum vestrorum primo disputationis huius libro iam dilui. Illud in præsentia quæro, quam aptè

locum

locum hunc Pauli interpretere. quid enim si Paulus ἀποστασίας, meminit? ideóne necessariò efficis, docere Paulum fore, vt vniuersalis fiat à fide defectio? An Apostasia esse non posset; etiam si vniuersalis non esset? vestra quidem certè ab Ecclesia Romana defectio est, quæ vniuersalis non est: defecit ab Ecclesia Marcion, Valẽtinus, Nicolaus, Arius, Eunomius, Macedonius, Simon denique vestrûm omniũ Choragus: num apostasias eas fuisse negabis, quia vniuersales non fuerunt? vnde igitur colligis vniuersalem eam defectionem fore? Nam quod à fide defectionem illam futuram affirmas, de qua eo loco loquitur Apostolus: quo tandem fundamento nititur? Certè etiam à Principibus defectio ἀποστασία. apud probatos scriptores appellatur: vt Plutarchus τὴν ἀπὸ Νέρωνος ἀποστασίαν, in Galba dixerit: qui igitur nosti, vtram defectionem eo loco significet Paulus? nam Hieronymus quidem in scripturis non nihil intelligens, quæstione vndecima ad Algasiã defectionem à Romano Imperio interpretatur. *Nisi*, inquit, *venerit discessio primùm, quod græcè dicitur, ἀποστασία, vt omnes gentes, quæ Romano Imperio subiacent, recedant ab eo*, &c. Deniq; argumentationem illam tuam vrgeo, qua nihil potest esse festiuius. cùm reuelabitur homo peccati; erit vniuersalis à fide discessio, teste Paulo: igitur Antichristus corpus quoddam significat multarum gentium collectione conflatum. neque enim si Rex, & quidem potentissimus, idemque nouæ superstitionis auctor futurus est Antichristus; continuò concluditur, Regem ipsum cũ subiectis sibi populis tanquàm vnum quoddam corpus Antichristi nomine censeri: An tu, quamuis stolidus sis, quærenti ex te quid sit Christus; Respõsurus es Christum esse multitudinem hominum, in qua Deus homo

præsi-

ſideat? quamuis is cum Eccleſia ſua vnum corpus, atq; vnum regnum efficiat? Aut ſi quis interrogauerit, quid ſit Papa: multitudinem hominum eſſe affirmabis, in qua vnus ſemper præſideat Pontificatum gerens? aut ſi tu, quo ſtupore es animi, id affirmabis; erit ne etiã tuorum quiſquam qui ferat? Sed reliqua audiamus. Deinde, inquis, myſterium illud iniquitatis ex variis erroribus conflari, & paulatim exiſtere, indicat (Paulus) At quibus tandem verbis? myſterium inquit iam operatur iniquitatis: Ex his, qui conſequens eſt Theologe Haidelbergenſis, myſterium illud paulatim exiſtere, atque è variis eroribus conflari debuiſſe? Potuit enim velut in typo, atque imagine quadam myſterium illud iniquitatis iam tum operari: neque tamen aut ipſum exiſtere, aut, variis erroribus conflari. An tibi progenitoris veſtri Simonis impietas, ficta prodigia, atq; affectata diuinitatis opinio, Neronis immanitas, perditi mores, inexpiabile in Eccleſiam odium Antichriſtum, qualem apud Prophetas, & Apoſtolos legimus; ſatis adumbrare non videntur? Quid igitur impedit quominus illuc ea verba referantur? præſertim cum Hieronymus quæſtione vndecima ad Algaſiam, Ambroſius, & Chryſoſtomus in hunc locum, de Neroniana ſæuitia locum eum intelligant. veſtra certè interpretatio (Neque enim ea in re tu ſolus inſanis) vt optimè animaduertit Bellarminus cap. 2. locum non habet. Si enim, cum ait myſterium iniquitatis iam tum operatum eſſe; declarat Apoſtolus; Antichriſtum iam tum exiſtere cœpiſſe, aut is in Eccleſia Romana non erat, cum tamen Antichriſtus eſſet. Quare Romana ſedes non neceſſariò ſedes eſt Antichriſti: vbi autem tum temporis, aut quis ille, qualiſuè fuit? Aut ſi in Eccleſia Romana tunc erat, iam tum hæreti-

m cus,

cus, atque aduersarius Christi erat Romanus Episcopus. quis autem tunc temporis præter Apostolos eam Ecclesiam gubernabat? Quod si in consuetas vestris hominibus latebras te coniicias. Iaci iam tum variis Hæreticorum fraudibus cœpisse quædam Antichristi semina, quamuis non dum existeret Antichristus: ipse causam tuam prodis, quando enim dixit Apostolus mysterium iniquitatis operari, vel auctore te non docuit iam tum existere Antichristum; sed tantum viam illi sterni Hæreticorum impietate cœpisse. qua autem ratione ex hoc probare potes, postquam Antichristus ipse venerit, diuturnum eius regnum esse, ac longa Regum successione contineri debere? an fieri non potest, vt regnum adeptus mox pereat, ac ne successorem quidem vllum habeat imperij sui? Sed tu vt ad priores ineptias tuas addi posse aliquid re ipsa doceres: *Tertio*, inquis, *Regnum illud diu duraturum esse dicit* (Paulus) *donec in fine mundi aduentu Domini penitus aboleatur.* At quæro ex te de Regno ne illo, quod post vniuersalem tuã à fide defectionem futurum est, loquatur Apostolus, cum prædicit forè, vt aboleatur aduentu Domini: an de eo, quod iam tunc erat, cum illa scriberet? Si de priore malis, profecto elleboro indiges; quid enim si ad finem vsq; sæculi pertineat, ideò ne diuturnum efficies? quid si triennio ante, vel decennio cœpisset? At profecto nullum certum tempus præscripsit Apostolus, quo regni eius initium esse deberet. Si autẽ ab ipsis veluti incunabulis, ac prodromis suis Antichristum repetas: vides, nisi planè cœcus es, tua ratiocinatione nihil effici. Nam nemo dubitat si Antichristi tempus iam inde ab eius prodromis numeretur, esse longissimum: illud quæritur, quãto tempore regnaturus Antichristus ipse sit. quod vos multis

multis sæculis contineri dicitis; nos triennio ferè circũ-scribimus è scripturis. ac de hoc ipso loqui te thesis hæc ipsa 12. satis apertè declarat; ais enim Antichristum esse hominem, qui regnum exerceat, seu ordinem, ac statũ hominum, eumque de scribi in scripturis, vt vniuersitatem quandam hominum, & quoddam veluti regnum, in quo semper vnus aliquis emineat, ac præsideat reliquis, characterem suum imprimens. Addis etiam teste Paulo Antichristum vniuersalem quandam à fide defectionem complecti, eamque regnum vnum facere, quæ profectò de inchoato illo, atque vt vos dicitis, nascente Anchristo vera non sunt. Denique etiam hæc ipsa quæ nunc examinamus verba tua, disertè de Antichristi regno sunt. *Tertio*, inquis, *regnum illud*, (Antichristi) *diu duraturum esse dicit* (Paulus,) *videlicet vsque ad finem mundi.* quid si triennio ante mundi finem regnare cœperit? diù ne etiam regnaturum illum dices Georgi, quia ad finem vsque mundi imperium eius portendetur? Sed homini tardo atque hebeti retro semper cessurus, ac longissimè absuturus mundi exitus videtur.

Ecce autem Gabriel Pouellus nescio quis furiosus adolescens oritur ex Britannia, qui vt ille olim incenso Dianæ fano, quando alia ratione nobilitari non potest, nomen ex impietate, ac blasphemia quærat. Itaque benè magnum numerum thesium de Antichristo proponit, ac Societatem nostram nominatim prouocat ad disputandum; cuius thesibus, quia eadem opera, qua Abbati sophismata confutatæ sunt, ne lectores onerem in præsentia abstinebo. Eius eam Epistolam, qua nos libelli sui initio compellat; percurram breuiter. Et quando is tyronem, ac iuuenem esse se profitetur; nonnihil incõsultæ ætati, multum etiam inscitiæ eius cõdonabo. Do- 8. *Gabriel Pouellus castigatur.*

ctissimos prudentissimosque in ipsa inscriptione nos appellat: sed, vt eo spiritu agitur qui IESVM soluit, eique dicit anathema; religioni sibi ducit sanctissimum Iesu nomen vsurpare. Itaque Loyolanæ factionis viros appellare mauult. Quod tam magnificè de nobis sentit, ac prædicat; vt summam doctrinam prudentiamque nostro nomini tribuat: gratias agimus. Nam & singulæ per se magni faciendæ sunt; & coniunctis nihil diuinius. vt etiam prouerbiorum 9. eo laudetur sanctorum scientia, quod prudentia sit. Sed caueat ne arrogantis impudentiæ sit imperitum adolescentulum, cum iis velle cōferere; quibus tantam doctrinæ, ac prudentiæ laudem nec rogatus, & hostis ipse concesserit. Quod sacrosancto Domini nostri nomine abstinet, æqui, bonique consulimus. vel ne sacrilego ore ipsa vsurpatione illud homo Caluinianus contaminet; vel quia Diabolo sonando edolata Lutherana lingua, ad Iesu nomen efferendum ægerrimè moueri posset: vel quia, vt ex thesauro cordis sui id quisque profert, quo plenus est, hac ipsa nominis eius fuga satis Spiritum suum prodit. Iam Loylanum nomen, etsi alienū à familia nostra est: Nam Ignatiū Loyolam parentē agnoscimus; Iesum ducem, non aspernamur tamen. Et quāuis parentis nos nostri nō pudeat; ab duce tamē nomē accipimus, cuius auspiciis militamus. Acerrimos etiā nos propugnatores Rom. Pontificis, ac Papanæ Ecclesiæ nuncupat, magnam verò laudem, atq; haud scio omnium maximam. Cui enim potius, quā Christo? Aut qua in re melius, quàm in Ecclesiæ defensione ponamus operā? Quod tamē quia probri loco nobis obiicit; etiam exaggerat his verbis: Cum videam vos Papalis dignitatis institores, assertoresque strenuos, & Papanæ Ecclesiæ columnas, & fulcra vt putamini maximè idonea,

nea,

nea, homines sanè litteris disputandique peritia vt plurimum instructos, alioqui mire hypocriticos, nec non in Papanæ Synagogæ gratiam ad quæuis flagitia perpetranda, ad quosuis labores tolerandos paratissimos: prætermittere non potui, quin vobis pro arbitrio hasce theses examinandas proponerem; præsertim cum intelligam hoc institutum, hunc finem vestræ vniuersæ Societati propositum; vt quos verus Dei amor, & suæ salutis cura à venenatis vberibus nouercalis pontificiæ Ecclesiæ abstraxit; hos Canonicæ obedientiæ, & Papali perfectioni restituere, hoc est, in Ægyptum reducere impensè incumbatis: Cuius ego calumnias non refello. nam neque flagitiis Ecclesia Dei defenditur; neque nos, Deo gratia, ij sumus, à quibus flagitia quisquã expectet. labore, studio, diligentia, periculis, vita denique ipsa, & fratrũ saluti, & Ecclesiæ commodis, ac dignitati seruire nos eoque curas omnes, & cogitationes nostras esse conuersas; & præ nobis ferimus, & vt alias regiones omittam, nostro cruore madens Anglia testis est. In litterarum studiis, ac differendi facultate nonnihil esse versatos, curare quidem certe vt ita instructi simus vt exhortari possimus in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere, quando dat aduersarius, non abnuimus. Quod verò columnas, & fulcra maximè idonea Ecclesiæ nos appellat; non intelligit infelix, non modo impiorum hominum conatibus, sed ne inferorum quidem machinis concuti eam domum posse, quam supra firmam petram ipsa Dei virtus, ac sapientia Christus Iesus ædificauit. Neque fulcris, atque columnis aliis substentari ædificium, cuius bases, ac fundamenta Apostoli, ac Prophetæ sint. Quanquam si columnæ aliæ in Ecclesia quærendæ, ac statuendæ sint, nimis ille quidẽ de

nobis gloriosè, ac magnificè sentit. Sunt alij multo vetustiores, atque ampliores in iisque clarissimi Prædicatorum ac Minorũ ordines: qui vt vetustate, ac rerum gestarum gloria nobis præstant, ita hanc quoque laudem sibi vendicant: Eorum nos vestigia longo interuallo sequimur, ac virtutem quantum nobis fas est æmulamur. Denarium, quem illi conuentione facta cum magno patre familias suo quasi iure repetunt; nos vndecima demum hora vocati Domini liberalitate speramus; sua illis gloria, suus honor, sua facinora, suum etiam nomē est: nobis communis imperatoris nomen quia nostro noui homines carebamus, inditum est. illorum laboribus, eruditione, scriptis & antiquæ hæreses pridem extinctæ, & recens ista ante iugulata, quam nata est. Ex eorum fontibus nostri riuuli promanarunt: qui tamen quæ Dei benignitas est, innabiles aduersariis sunt.

Quod verò ad certamen nos prouocat confidentissimus adolescens; Thrasonem agit; Quæro enim cominus ne manum conserere mutuis interrogationibus, responsionibusque; an scripto eminus causam hanc disceptare nobiscum malit; si coram, ac viua voce agi placet; aut fidem nobis publicam ab Rege, ac Magistratibus dandam curet, vt impunè venire, vt causam fidei defendere, vt nouum Euangelium antiquo euertere ritè liceat; alioqui inter secures, ac laqueos quis locus esse iustæ disputationi potest? aut si id desperat, perbreuis est ex Anglia traiectus in Galliam, eò se conferat, non deerunt opportunitates faciendi vel suæ, vel nostrorum hominum eruditionis periculi. Quod si quia præsens aduersarius vrgetur, premitur, tenetur, constringitur; congressum metuit, atque è tuto minari, ac lacessere hostem mauult: næ ille alienis laboribus gloriam captat.

cat. Obſcurus enim alioqui, atque vna nocte fungi inſtar è terra natus adoleſcens ex aduerſarij luce ſplendorem quærit. quique neglectus, ac nullo loco habitus ſordet in ſuis, in alienis ſcriptis nitere vult. quid enim affert non decantatum à ſuis millies; ac bis millies à Catholicis confutatum? quorſum igitur quæ ab Hæreticorum coryphæis obiecta, à Catholicis diluta ſunt; ſuo etiam nomine confutanda proponit: niſi vt

Aenea magni dextra cadens,

Gloriam quam à victoria non poterat, à victoribus ſuis inueniat? At enim forſan è Ratiſbonenſi noſtrorũ hominum cum Lutheranis colloquio tyro, planeque rudis animos ſumpſit? Agnoſco notam adoleſcentis inſcitiam ne, an inſaniam. Veteranus quidem certè, quiq; intelligeret ea, quæ legeret, animo cecidiſſet: Quid enim cauſæ fuit glorioſis illis veſtris Euangelicis, vti colloquij illius acta corrumperent? nempe quia Ieſuitæ velutifulmine icti, atque attoniti quid aut reſponderẽt, aut obiicerent non habuerant. Quid in ipſo colloquio. cur diſputationis leges, in quas ipſi conuenerant, adduci nunquam potuerunt, vt ſeruarent? nempe Ieſuitæ eorum aſpectu territi, nihil afferebant quod ad rem faceret. Vetus eſt eorum conſuetudo, qui in veritatis inueſtigationem incumbunt, iam inde à Socraticis ducta tẽporibus: vti cũ de re aliqua dubia quæritur, duab. tribuſuè propoſitionibus comprehenſa ratio proferatur ab eo, qui impugnandi partes ſuſceperit: quam ita diluat is, qui alterã partem tuetur, vt ſingulas propoſitiones vel concedat, vel neget, vel diſtinguat ſi quid continere videantur ambigui. Ita enim fit; vt nuda illa neque verborum, aut multitudine obruta, aut ambagibus inuoluta, aut adulterata lenociniis veritas magis eluceat:

Vide præfat. Protocolli Monach. & Apologet. præfat. Tãneri cap. 12.

facilli-

facillimeque diſpici etiam à minus doctis poſſit, quantum ſit aut argumentationis, aut reſponſionis pondus; cum nullus ea ratione relinquatur tergiuerſationibus locus Eam formam diſputationis appellari moris eſt. Credo quod ea maximè diſputationis, quæ ad inueſtigandam veritatem inuenta eſt, natura contineatur. Hæc vt in eo colloquio ſeruaretur, & Lutheranis, & nobis iam ante conuenerat; quam etiam ſine pactione vlla præſcripta tot iam ſæculis omnium Academiarum, ac ſapientum conſuetudine retineri oportebat. Sed vt ea omnem ſibi tergiuerſandi, fugiendique viam precludi animaduerterunt boni miniſtri, nulla aut pacti, aut cõſuetudinis verecundia contineri in officio poſſe: vt ſeſe obuia quæque obtulerant, arripere: continenti oratione multa inuoluere: nihil diſtincte, nihil ad ſingulas propoſitiones reſpondere, non affirmare, non negare, non diſtinguere. Hinc illi ad rauim vſque clamores, vti diſputationis forma ſeruaretur vtque de propoſitionibus ſingulis aduerſarij diſertè dicerent, quid ſentirent. nihil ad præſentem diſputationem referre vera ne an falſa eſſent ea, quæ vt id, de quo agebatur inuoluerent, admiſcebant. rem modo ipſam, de qua tunc agebatur attendi oportere; cetera alium in locum reiici Quæ Pouellus, vt in hoc toto genere tyro eſt, planeque peregrinatur, quorſum ſpectent, cuius diffidentiam prodant, à quo victoriam ſtare declarent; non intelligit. illud modo vnum nouit, id clamando ſuos obtinuiſſe, ne penitus obmuteſcerent. præclaram verò ſapientiam; quæ anima lateribuſque continetur. Sed tamen adoleſcentẽ harum rerum ignarum delectat illa ſuorum neſcia cõpeſci garrulitas. verbis enim iſti, non rebus victoriam putant contineri. At etiam ſalis aliquid admiſcere in-

ſulſæ

falsæ ac frigidæ narrationi suæ voluit. *Quæ malũ*, inquit, *& qualis hæc tam formosa, tamque monachis adamata forma est?* Quam tu quoque, si mentis, quibus illa cernitur, oculos haberes; sine dubio adamares. Sed tibi quæ tandem esse videtur? *Ista*, inquit, *quam suis coloribus, ad perpetuam rei memoriam ex ipso protocollo huc contemplandam referre; & in honorem Loyolani gregis immortalitati consecrare lubet.* In abortiuis videlicet scriptis tuis; quæ, quia nunquam nata sunt, ne moritura quidem sunt vnquam. Sed colores istos, quos tu videre capta mente non potes, Tyresiæ more tandem aliquando aliis videndos vaticinare. *Protocoll. Lauing. sess. 12. pag. 354. linea prima, & protocoll. Monach. sess. 12. fol. 132. a. linea prima*; lineam etiam adnotas? laudo diligentiam; nimis illam quidem superstitiosam, ac minutam: sed quæ in adolescentulo in iis rebus, quas capit, non iniurioso propter spem, atque indolem delectare possit. syllabam tu mihi etiam atque litteram adnotasses: iuberem macte virtute esse: haberem quæ de te publicis tabulariis pollicerer. Istam tu mihi diligentiam in proferendo ad finem compellationis tuæ Bellarmini loco adhibuisses, fidem in re tanti momenti non desiderarem tuã. *In hac quæstione*, inquis (de Antichristo) *nihil certi ex patribus colligi potest, quod & vester Achilles Bellarminus fatetur.* At quo loco? quo libro? qua controuersia? quo controuersiarum suarum tomo istuc somniauit vnquam Bellarminus? Nisi forte quia libro 3. de Romano Pontifice, cap. 12. quod primo etiam libro adnotauimus, negat aut ex Patribus, aut ex scripturis certò colligi posse, qua ex tribu futurus sit Antichristus: ideò tibi vniuersè negare videtur quicquã ex patribus de illo certi colligi posse; vt si quis omnino sentire te negaret, quia Leo non es. quod erratum

n tibi,

tibi, ista eruditione adolescenti, condonari potest. Bellarminus profecto tam perspicuis, ac minime dubiis Patrum testimoniis de Antichristo disputat: vt coëgerit Abbatum in hac controuersia aduersus totam antiquitatem, Patresque apertas exceptiones interponere. Sed redeamus ad nostra. E sessione illa 12. Ratisbonensis colloquij, quid habes Pouelle de forma, quod proferas?

Qui negat articulum aliquem fidei; is solum est Hæreticus:
Sed Hæreticus est, qui negat Tobiam habuisse canem:
Ergo sequitur, esse articulum fidei quod Tobias canem habuerit.

Quæ postquàm ex protocollo descripsisti. *Hæc est illa*, inquis, *vel ipsa Venere venustior, & Thaide comptior Loyolana forma* At tibi ista fide, istis moribus, ista procacitate adolescenti Venerem Thaidemque, quarum formas, quia caroes, solas adamasti, sponte relinquimus: quid in ea argumentatione reprehendas, quid indignum ea disputatione censeas; scire peruelim. An parum digna vel summorum ingeniorum disceptatione controuersia tibi videtur esse de auctoritate sacrorum voluminũ; quæ nobis adeò sacrosancta sunt; vt ne Iota quidem vnum eorum apicem à diuina veritate alienum esse credamus: vt si quis quippiam eorum, quæ in diuinis oraculis tradita sunt quantumuis alioqui per se leue videatur, ita esse negauerit vt scriptura commemorat: is grauissimi sacrilegij, atque hæreseos reus iudicetur. Neque enim res ipsa, sed diuina testificatio attendenda est, quæ si semel fallere, atque in errorem inducere nos potest; in ceteris etiam rebus nutabit eius auctoritas: Hùc ea de cane Tobiæ refertur argumentatio, qui Exempli gratia solet afferri ad ostendendum, in rebus ad fidem pertinentibus diuinam reuelationem, non rem ipsam,

quæ

quæ reuelatur, ſpectari oportere. Sed vobis qui ex canone, cum moleſti ſunt, integros etiam ſacrarum litterarum libros expungitis, paucula ſcripturæ verba non tāti ſunt, vt ſi quis ea aſpernetur, ac derideat, ideò ſacrilegum illum, atque hæreticum cenſeatis. Sed ad reliqua. quid in hac forma reprehendat attendite. *Quid?* inquit, *an non in cudendis argumentis, vel pueris ſe deridendos proponunt monachi; quantumuis perſonata, & meretricia ſua forma turgidi?* cui vos ſcilicet morbo medicinā ab inſcitia quæritis Stulte. nam neque inflat medicata Chriſti charitate ſcientia: & periculoſius plerumque tumet confidentia, doctrinæ præſidiis deſtituta. *Quia de materia veritate, & copia in ſuis conſcientiis deſperarunt, ad ſolam formā ſe receperunt.* At quæ malum iſta veſtra eſt tam impatiens formæ tamq; aliena à ratione materia? Bruta nimirum illa, atque concreta: cuius contagione hebeſcunt animi, luxq; penè omnis rationis extinguitur: quæ vos abiectos ad paſtum, mente ipſa atque intelligentia ſpoliauit. *Vt quoquo modo perſtringant hominum oculos, ne videant, quam in rebus ipſis blaſphemi Monachi, & miſeri ſint.* Crederem ſi diſputationis forma, ac perſpicuis, iiſque paucis verbis expoſita tum argumentatio, tum reſponſio res inuolueret; atque implicaret: non explicaret potius, ac ſub oculos poneret. Nunc cū diſputationi ſplendorem, veritati lucem afferat: latere non cupit homines, qui retinendam eam in diſputatione curat; quamuis tenebrionum perſtringat oculos, odiſſe quidem certè lucem eorum eſt, qui male agunt. Tu verò etiam calumniari pergis. *quamlibet*, inquis, *captabant anſam colloquij abrumpendi. Iam enim querulabantur, in frugiferum eſſe cum Euangelicis diſputare.* Calumniam hanc eſſe ex Relatione Tanneri part. 3. cap. 4. intelliges. Quam autem

præterea frugem ex eo colloquio expectarent, in quo confusè ac perturbatè omnia, nihil ex præscripto fieret? neque tam ratione, quam voce lateribusq; certaretur? Sed vestri illi tam strenui defensores cum Iesuitas viderent desperatione consternatos abrumpendi colloquij occasionem quærere; cur in re alioqui iusta eorum postulatis non satisfecerunt: vt quod ante promiserant, in forma, ac paucis responderent? Quantum ea res ad profectum quinti Euangelij? quantum ad vestri nominis gloriam contulisset? Quid disputationis forma, quæ tantum ad inueniendam veritatẽ valet, officere iis poterat: qui primo congressu ita perculerant aduersarios; vt ad formam, tanquam ad asilum confugerent? quam illis latebram si præclusissent: quã opimum de Romana Ecclesia triumphum reuexissent? Nimirum vt adulterinum aurum ignem, sic informis eorum disputandi ratio formam ferre non potuit.

At enim *cum duæ adhuc restarent argumentorum classes, quibus Monachi probare debebant, I. suam Pontificiam esse veram illam Catholicam Christi Ecclesiam. II. Pontificem Romanum esse omnium Controuersiarum Religionis Iudicem; quod in sessione vndecima ab Euangelicis, id flagitantibus, & vrgentibus blasphemis monachis, Papa necessariò dictus fuit Antichristus; sessione demum decima quarta protestationẽ interponi curarunt: vt hoc saltem prætextu disputationi publicæ, in qua se nihil hactenus obtinuisse neque deinceps quicquã lucrifacturos videbant, finem imponerent.* At ò bone adolescens, qui tam superstitiosè paulò antè non verba tãtum, ac paginas sed lineas etiam è duobus protocollis, cum minimè opus esset, adscripsisti: cur hæc quæ causæ tuæ non minimum profutura erant, tam oscitanter tractas? Cur verba, quibus efflagitarunt Iesuitæ, vti Lutherani

rani

rani Papam Antichristum esse dicerent non subiecisti? Mendacium scilicet hoc tuum est, non Protocolli fides.

Ad protestationem quod attinet; quam nostrorum hominum opera interpositam narras. Primum ex te scire velim, qui id compereris? certè non is erat serenissimus Bauariæ Princeps, vt aut pro se ipse non videret, quid facto opus esset: aut diutius peruicacem illam furiosorum hominum blasphemandi licentiam ferre vel deberet, vel posset. Deindè fuerit sanè vt tu fingis, nostrorum hominum opera ea protestatio interposita, cur ipsa eius verba, aut si minus vacabat, sententiam quidē certè non adscripsisti. Apparere non obscurè potuisset quam timidè Iesuitæ è certamine cederent; quam futiles, quam inanes causas dissoluendæ disputationi prætexerent; quantum clamosi illi vestri laterones thorace, ac pulmonibus ad eos scilicet perterrefaciendos valerent. Nunc cum aliorum suspicionibus relinquere, quā teneri ea hominum conscientia malueris: iustam profecto suspicionem facis, non iniustam eam protestationem, nec inanem fuisse. Cæterum quem tui homines ex vniuerso hoc prælio animosi discesserint, quam præclaram ab hostibus victoriam reportarint, testis esse tibi poterit è Lutheranis non tam scriptis, quam factis famosus ille Minister Georgius Mylius, siue Mullerus, qui suis de methodo Theologicæ demonstrationis thesib., occasione colloquij Ratisbonensis, quod malè vtrique suis cessisse intellexerat, hæc duo problemata his ipsis verbis adiecit. I. *Si Euangelici disputationis aleam subire cū Iesuitis velint, num necessitatis sit, vt se ad formam syllogisticam in argumentando & respondendo astringi patiantur? Respondetur negatiuè. II. si cum iisdem in colloquium descenden-*

dum sit, num consultum saltem sit syllogistica tantum forma cum iisdem agere? respondetur negatè. Ita Mylius iste, quem roges licet, quidnam ei tantum odij erga syllogisticam formam conciuerit, suorumnè ex hac forma accepta strages, an ob tenta victoria? sed quia fortasse ex domesticis fidei tuæ Caluinistam aliquem audire potius testē voles, en tibi Dauidem Pareum celebrem hodie Haidelbergensis Theologiæ professorem, qui in sua de scripturæ sacræ authoritate, &c. disputatione itidem post colloquium edita, thesi 117. de Lutheranis disputatoribus quoad ipsum totius disputationis caput ita censuit: *Quinto* (inquit, sequitur) *quòd non satis cautè negatum fuerit ab eorum* (Iesuitarum) *Antagonistis* Ministris in colloquio Ratisbonensi *id* (dogma de libris Canonicis) *esse articulum fidei, siue generaliter, siue specialiter. Magis incautè concessum, id haberi ex traditione seu testificatione Ecclesiæ. si enim tantum vel præcipuè ex traditione seu testificatione Ecclesiæ id crederemus, vtique principiū fidei, imò tota fides nostra, niteretur testimonio Ecclesiæ, scriptura verò non esset vnica norma fidei & dogmatū: & sic haberent Aduersarij* (Iesuitæ) *quod volebant.* Habes quid Lutherani sentiant de Ratisbonensi colloquio; & quid Caluinistæ habes. Tu quid contra mutias, ipse videris. Interim tuorum te Iudicum sententia damnatum teneo.

FINIS.



